UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nucleus Practici Tractatus, De Legibus

Marchius, Ewald

Coloniæ Agrippinæ, 1660 [erschienen] 1661

urn:nbn:de:hbz:466:1-42256


Visual Library

Th. 2393.

5 I
36.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN




Collegij Soc.
pad. C.



Facile iu[illegible]ditu[illegible]um et iu[illegible]sti[illegible]tiam Ier. 22.

Coloniæ apud Wilhelmum Friessem 1662.

autor Dedus Adam Pl[illegible]

NUCLEUS PRACTICI TRACTATUS, DE LEGIBUS

IN QUO

LEGIS ÆTERNÆ, NATURAlis, Gentium, Positivæ, Divinæ, ac Humanæ, Canonicæ, ac Civilis, simulque Praxis Judiciariæ Materia, breviter, dilucide, ac practicè explicatur; ut non tantum Theologis, sed etiam Canonistis, & Jurisperitis, ac forensia negotia tractantibus utiliter subservire possit; ex variis Doctorum corticibus excussus, & in hanc Compositionem redactus.

Collegii Soc. AB Jesu Paderborne

A.dum Reverendo & Eximio Domino

EWALDO MARCHIO,

SS. Theologiæ Licentiato, Insignis Collegiatæ Ecclesiæ ad S. Ioannem Osnabrugi Canonico, ac Eminentissimi S.R.E. Cardinalis FRANCISCI GVILIELMI, Principis & Episcopi Osnabrugensis &c. Consiliario.

Cui in fine accessit summarius Explicatio Regularum Iuris, ac Nucleus Mysticus Legis Evangelicæ ex ipsis Divini Verbi genuinis floribus congestus Authore eodem.

COLONIÆ AGRIPPINÆ
Typis & Sumptibus WILHELMI FRIESSEM
Bibliopolæ. Anno 1660.

DEO OPTIMO, MAXIMO,

LEGISLATORI primario, Supremo, Sapientissimo, Judicique æquissimo, *a* qui circumdedisti mare terminis, *b* & Aquis posuisti LEGEM, ne transirent fines suos, *c* Judicas Orbem Terrarum in Justitiâ, & populos in æquitate, *d* LEGEM NATURÆ, cum ipso rationis lumine, cordibus Hominum inspirasti; Abrahamo fidei & obedientiæ Patri, ejusque Semini LEGEM *e* CIRCUMCISIONIS imposuisti, *f* LEGEM DECALOGI Digitis tuis, tabulis lapideis inscriptam, cæteraque LEGES CÆREMONIA-

a *Iob.* 38. b *Iob.* 28. c *Psal.* 97. d *Psal.* 4. *Exo.* 17. f *Exo.* 20.

NIALES, JUDICIALES, & MORALES, famulo tuo Moysi tradidisti: Denique novam LEGEM Gratiæ, Amoris, & Misericordiæ per Dilectum Filium tuum Hominibus annunciasti, & per Beatos Apostolos, g in die Pentecostes, Spiritu sancto misso de Cœlo, promulgasti, & toti mundo notam fecisti; A T E enim, omnis Potestas in Cœlo & Terra, originem trahit, ac à tuæ Divinæ & Æternæ LEGIS imperio, veluti limpidissimo fonte, omnes cæteræ justæ LEGES, tanquam lucidissimi Rivuli profluunt, & scaturiginem ducunt, cujus Divinæ venæ virtutem, & Saporem, nisi sapiant, & imbiberint, veluti adulterini, & insalubres reputantur.

Tibi igitur summo LEGUM Auctori præsentem hunc NUCLEUM, Divi-

Divinárum tuarum, Humánarumque Legum sinceram Medullam, & Succum continentem, ad Promptuarium & Officinam Ecclesiæ Tuæ defero, & Majestatis Tuæ Pedibus suppliciter provolutus, ad Honorem, & Laudem Divinæ Gloriæ Tuæ, cum profundissima animi subjectione, humillimè offero: Dignum enim & Justum est, ut sicut flumina, ad Mare, unde exeunt, denuo revertuntur; *h* ita Labor meus, Gratiâ tua præcedente inceptus, eâque concomitante continuatus, ac subsequente ad optatum finem productus, ad tuum vicissim serviat obsequium & Honorem: Non enim potui, præter Te, nobilius & excellentius implorare Patrocinium, quo hic meus Nucleus à Zoilorum arrosionibus, tutius defenderetur.

h *Eccle.* 1.

Unde suppliciter oro, quemadmodum priorem meum NUCLEUM de JURE & JUSTITIA, Divino Nomini Tuo similiter dicatum, tam copioso Benedictionis tuæ Rore perfudisti, ut quamvis initio, aliquorum oculis, vilis & exilis appareret, postea tamen, ejus gustum ita acuisti, & dulcem plurimorum palatui reddidisti, ut ejus orexi, multi JUSTITIÆ Amatores, prolecti, intra biennii spatium, ultra octingentas ejusdem compositiones absumpserint; Ita nunc similiter, super hunc NUCLEUM Manum Tuæ Divinæ Benedictionis, clementissime aperire digneris, ut sicut per eam granæ frumenti, in terram jacta, multiplicata resurgunt; similiter etiam, hujus NUCLEI mei Medulla & Succus, rore Gratiæ Tuæ fœcundatus, & multiplicatus, in multorum excrescat, & diffundatur profectum & Salutem.

lutem, Divinæque Tuæ Protectionis Clypeo munitus, ab adversantium defensus maneat incursibus.

Et cum per Tuam Providentiam, Reges gubernent, & LEGUM Conditores JUSTA decernant, *i* emitte illis de Sede Majestatis Tuæ Spiritum Sapientiæ, Scientiæ, Prudentiæ, Consilii, Intellectus, Fortitudinis, & Timoris Tui, *k* ut tanquam Fideles Ministri Regni Tui, *l* sine acceptione Personarum, juxta Sacrarum LEGUM Præcepta, Populum suum gubernent, ut ab omni injustâ oppressione, & perturbatione securus, in Pace, Tranquillitate, Sanctitate & Justitiâ, *m* serviat, coram Te, omnibus diebus vitæ suæ.

i *Prover.* 8. k *Eccl.* 15. *Isa.* 11. l *Sapi.* 6. m *Luca.* 1.


Fortiter Et Suaviter

CARMEN AGGRATULATORIUM.

In novam Editionem, utilissimi LEGVM NVCLEI,

Admodum Reverendi, & Eximii Domini Auctoris,

EWALDI MARCHII

SS. Theologiæ Licentiati.

IMplevit Mundum, Nuclei Laus Marchie primi,
Justitiæ & Juris, qui documenta dabat:
Hic Nucleus Legum, simili num laude carebit?
Nil minus hic, summâ laude perennis erit:
Continetis, Legum mirâ brevitate Medullâ,
Quas, summâ Ingenii dexteritate docet;
Justitia & Leges, Mundi moderantur habenas,
Ex his depēdet, vita Hominumque Salus;
Hęc duo si tollas, Mundū confusio & horror,
Ac vis implebit, nemoque tutus erit.
Pax aget exilium, concordia tota peribit,
Pro libitu Prædo sæviet, atque latro
Tanti causa mali, toto quod regnat in orbe,
Neglectus Legum est, Justitiæque Sacræ,
Quem Nucleis revocare studes, his Marchie trinis,

Ut LEGUM redeat, JUSTITIÆQUE decus:
Sic auges meritū, Cœli quod prę̄mia spō̄det,
Dū monstras LEGUM, JUSTITIÆQUE viā,
Ambages vitas, & per compendia ducis;
Nam via longa nimis, tædia ferre solet?
MYSTICUS & NUCLEUS, Divina oracula pandens,
Præmia magna dabit, digna labore tuo.
Ut volitare solēt AQUILÆ, super ęthera cœli,
Sic, tuus hic NUCLEUS MYSTICUS, alta petit,
Monstrat ad Astra viam, vitiis indicere bellū
Suadet, & ÆTERNI tempora longa docet,
Perversi Mundi, & fallacis Dœmonis astus
Detegit, & Carnem mortificare jubet,
LEGIBUS Humanis, Divinam hinc MARCHIE jungis,
Ut quemcunque statum, LEGIBUS instrueres,
Quas methodo tradis grata, ut deserviat omni,
Qui LEGES cō̄dit, vel Sacra JURA docet,
Nec minus & Populis, quibus est parere necesse,
Ut discant omnes, quæ facienda sibi,
JUSTITIÆ, servare solent Animalia LEGES,
Quas AQUILÆ exercent, & ferus ipse LEO,
Qui sibi prostrato placidus, rigidusque rebelli:

JUSTI-

Justitiæ & similis, dant documenta
AQUILÆ,
Dum Pullos veros, solis splẽdore probatos,
In nidis retinent, ejiciunt spurios;
His INSIGNE tuum, dum constat MARCHIE, LEGES.
Recte conjungis, JUSTITIÆ NUCLEO,
A quo composito, vix Annis transiit alter,
Et NUCLEUS præsens, ecce paratus adest;
Quod vires tolerare tuæ, potuêre labores,
Hos tantos, multis res bene mira fuit,
Sed labor assiduus, mediãte favore superno,
Ac Animus fortis, fortia quæque potest;
Quod bene demonstras, paucis dum plura, labore
Enucleas magno, claraque cuncta doces;
Nulla tamen, scitu quæ digna putantur, omittis
Ut NUCLEI succus; dulcis ubique foret;
Nec tradis quidquam, quod non Ratione probasti,
Aut non Auctoris nomine, rite citas:
Ex propriis hortis, nec carpis MARCHIE flores,
Sed quorũ probitas, notaque certa fides,
Zoilus, ut causam rodendi, nullus haberet,
In quâ quærenda, Lynceus esse solet,
Qui licet in lucem, si quid produceret ipse,
Censores forsan, posset habere suos,

Det meliora prius, quam aliorum scripta refutet,
Si non Rosoris nomen, habere velit,
Sed veluti muscæ, morboso corpore gaudēt,
Sanaque declinant, sic quoque Rosor agit.
Macte Animo hinc esto, Rosores MARCHIE sperne,
Accedet NUCLEO, læsio nulla tuo:
Illius est etenim, DIVINO oblatus HONORI,
Qui servare potest, omnipotente manu:
Vivet post Mortem, laudabunt sæcla futura,
Auctorem celebrem, tam sapidi NUCLEI,
Divitiis quidam, magnum sibi quærere nomen
Conantur, majus, sed dare scripta solent:
Quod tamen, ex humili solitus, contemnere mente,
Nam solam Laudem, quæris habere Dei,
Laus Humana perit, varias mutatur in horas,
Laus Divina manet, tempore perpetuo:
JUSTITIAM erudiens, stellarum ut Luce micabit,
MARCHIE, Sic capiti, Lux erit alma tuo.

Benevolentia ergo accinebat.

A. H. V. S. I.

IN-

IN EUNDEM NUCLEUM DE LEGIBUS.

LEx, mutus Rex est, Rex est Lex viva, sed illa
Ni muto Regi pareat, Ordo perit:
Rex est forma Gregis, Regis Grex jussa capescit,
Lex Gregis & Regis Regula, utrũque ligat:
Legis ab imperio, toto pax pẽdet in orbe;
Pax cum Rege Gregis, pax utriusq; Deo:
Grex Christi terræ cũ Regibus undiq;, rarus
Cum rectore Poli, fœdera pacis habet.
Sunt qui tranquillam pacem, cum fratre loquuntur,
Cœlo bella struunt, dum mala corde fovent.
Contra insensatos, meruo ne in prælia surgat
Orbis, pro meritis ut malefacta luant.
Dum facis in NUCLEO, sanctas revirescere Leges,
Cœlestis pacis, MARCHIE vincla paras.
Sic labor iste tuus, summos, servabit & imos,
Proficiet pariter, Regibus, & Gregibus.

Ex Amoris & Observantiæ singularis affectu adcinebat

BERNARDUS Duithe, *pastor in Collegiata S. Ioannis Osnabrugi.*

APPROBATIONES.

LIBELLUM, qui inscribitur NUCLEUS PRACTICI *Tractatus de* LEGIBUS *ab Admodum R.do & Amplissimo.* D. EWALDO MARCHIO *Sacra Theologia Licentiato, &c.* Singulari industria, & prudentia ex probatissimorum & Eruditissimorum, tam Theologorum quam Jurisconsultorum voluminibus appositè concinnatum, accurate, & attente evolui; nihilque inveni Catholicæ fidei, aut bonis moribus qualitercunque contrarium, quin potius omnia talia, quæ scientiarum & eruditionis solidæ cupidis magno ad, profectum adjumento esse possint, adeoque typis dignissimum judico, Authoremque propositi sui scopum fæliciter attigisse, qui instar florilegæ apiculæ Excellentiorum Theologorum & Jurisconsultorum odoriferos & fragrantissimos campos pervolitans integerrimum & purgatissimum doctrinæ mel in hujus libelli captibus, veluti in idonei apiarii loculamentis depromendum & deguſtandum recondidit. Ita sentio Coloniæ Anno 1660. 6. Decembris.

Fr. NICOLAUS HAUSTADT *Ord. Prad. S. Theol. Doctor & Professor Senior, Inquisitor Apostolicus. Generalis manu propria.*

Libel-

Libellum intitulatum Nucleum de Legibus à R.do adm. ac Eximio D. Ewaldo Marchio SS. Theol. Licentiato Eminentissimi D. Cardinalis Episcopi Osnabrugensis Consiliario Ecclesiastico &c. doctissimè elaboratum, diligenter perlegi; nec quicquam Catholicæ Romanæ Fidei aut bonis moribus contrarium in illo inveni. In quorum fidem & testimonium hæc propria manu scripsi in conventu nostro FF. Minorum strict. Observ. Recollectorum ad Olivas dicto, Coloniæ 27. Octob. 1660.

Fr. Bernardinus Vetweis SS. *Theologiæ Lector Iubilatus, &c.*

Nucleum Tractatus Practici de Legibus Authore Adm. R. D. Ewaldo Marchio SS. Theol. Licentiato, gustando perlustravi, & in eo nervose enucleatam Legum Doctrinam, Orthodoxæ fidei ac bonis moribus consonam sub brevi compendio contentam inveni, quod attestor manu mea propria. Anno 1660. 25. Novemb. Coloniæ in Monasterio nostro S. Pantaleonis Ordinis S. Benedicti Cong. Bursfeld.

F. Theodorus Gangell *SS.tæ Theol. Licent. & Lector.*

CENSURA ORDINARII.

NVcleus Practici Tractatus de Legibus, Auctore A. R. D. Evvaldo Marchio S. Th. L. à viris doctis singulariter laudatus, imprimatur. Coloniæ. 10. Decemb. 1660.

ADR. DE WALENBURCH
Censor Libr. Ord.

PRÆ-

PRÆFATIO

Ad benevolum LECTOREM.

NOtum est Theologis, Materiam de JURE & JUSTITIA, cum eâ, quæ est de LEGIBUS, tantam habere affinitatem, dependentiam & connexionem, ut unius solida cognitio, sine altera, haberi minimè possit; cum hæ materiæ, veluti quidam circuli & nexus, sibi invicem cohærentes, unam Justarum LEGUM catenam constituant; JUSTITIA enim, constantem voluntatem, Jus suum cuique tribuendi exigit, teste [a] Cicerone, qui ait, Græcos LEGEM vocare νόμον, id est, à tribuendo unicuique quod suum est, cum LEX debeat esse justa. LEX enim fertur, ut JUSTITIA administretur, quod neutiquam fiet, nisi LEX observetur; Idque locum habet, tam in JUSTITIA EVANGELICA & POLITICA, quam in LEGE DIVINA & HUMANA, Quis enim JUSTITIAM exercere, seu ritè administrare poterit, nisi ex præscripto LEGUM? Quis LEGES bene ferre? nisi JUSTITIAM pro objecto & Scopo habeat? unde dicit S. AUGUSTINUS,

[b] Mi-

[a] *Cicero lib. 1. de LEGIBUS.*

b Mihi LEX esse non videtur, quæ justa non fuerit, & S. Thomas docet, *c* esse de ratione LEGIS, ut juste feratur, id est, forma JUSTITIÆ servetur, ideoque tres virtutes JUSTITIÆ, in ea cerni debere, utpote Legalis, Commutativæ & Distributivæ: Hinc LEGES uti rami, ex radice arboris JUSTITIÆ proveniunt, hujus vero administratio & executio, ex LEGIBUS oritur, nemo enim ignorans peccat, nihilque est volitum, quod antea non fuit cognitum: unde dicit Apostolus, concupiscentiam nesciebã, nisi LEX diceret, non concupisces, *Rom.* 17. ac proinde LEGES minime ad pœnam, nisi scitæ & promulgatæ fuerint, Transgressores obligant: Quem ordinem, ipse etiam Dominus Deus, Judex noster, Rex noster, & LEGIFER noster, ut inquit Propheta Isaias *d*. in omnibus operibus JUSTITIÆ servare solet; antequam enim in exilium perpetuum, Protoplastes è paradiso proscriberet, *e* jam prius LEGEM; de non comedendo ex arbore scientiæ boni & mali, dederat, Et antequã sententiam maledictionis, in incircumcisos

b S. *Augustinus lib.* 1. *de libero arbitrio, c.* 5. c S. *Thomas* 1.2 *q.* 96 *art.* 4. *& q.* 95. *art.* 3. d *Isaiæ cap.* 33. *v.* 23. e *Gen.* 2. *v.* 16. *& cap.* 3. *v.* 24.

cisos proferret, Abrahamo *f* prius, LEGEM Circumcisionis imposuerat; uti & LEGES Decalogi, & alia judicia & mandata, prius per Moysen *g* Populo Israelitico præscripserat, & promulgaverat *h* antequam Justitiam in transgressores exerceret. Hinc, tam frequens in sacris Litteris, LEGIS mentio habetur; ut etiam ab ea, Psalmista Psalmum primum, exorsus fuerit, Beatum eum dicens, qui in LEGE Dei meditatur die ac nocte *Psal.* 1. *v.* 2. Cujus etiam LEGIS nomen, sub nomine Viæ, Testimonij, Judicij, Justificationis, Mandati, Sermonis, Eloquij, &c. In unico psalmo 118. ultra centies septuagies repetit, uti & S. Paulus Apostolus in solis suis Epistolis, centies & quadragesies, LEGIS mentionem facit; Nihilque frequentius totum vetus, & novum Testamentum, præter LEGES, earumque observantiam resonat; *Matth.* 22. Quas omnes, sub gemina Dilectionis Dei, & Proximi LEGE & Mandato contineri, ipse noster Salvator attestatur. Cū vero LEX Æterna, omnium LEGUM, fons sit & origo, omnesque LEGES, ab ea proveniant, & vim obligandi habeant, prout testa-

(f) *Gen. 27 v 12. & 1b. v. 14* (g) *Exodi 20. à versu 1 usque ad 17.* h) *Exodi 22.*

teſtatur S. i Auguſtinus, & S. k Thomas eſuſque elucidatio, Theologis potiſſimum competat, ad quam etiam cæteræ LEGES Poſitivæ, tam Eccleſiaſticæ, quam civiles, uti ad lidium lapidem, probari debeant, Juſtitiæq; adminiſtratio, ex LEGUM ſcientia & obſervatione dependeat; Hinc operæ precium duxi, NUCLEO meo priori, de JURE & JUSTITIA, hunc ſimul practicum de LEGIBUS adjungere, publicæque luci exponere; in quo, omiſſis illis, quæ aliqui Doctores ſæpius extravaganter, & magis ſcholaſtice & ſpeculative, quam practicè tractant, Ego omnia ea, quæ ad hanc materiam de LEGIBUS propriè ſpectant, Praxi (at præſertim Judiciariæ) ſubſerviunt: ſimili brevitate & perſpicuitate tradidi, qua in NUCLEO priori uſus ſum, ne Libellus nimium excreſceret, vel faſtidium prolixitate pareret; Quem ſummo meo labore, in hunc NUCLEUM redactum, etiam tuo bono, LECTOR BENEVOLE, in lucem protuli: Quo ſecure frui poteris, cum nihil ex pharetra propria depromptum contineat, verum, ea ſincere & fideliter tradat, quæ S. Iſidorus, S. Thomas, Dominicus Soto, Driedo, Suaretz, Reinaldus

i) *Aug lib. 1 de libero arbitrio c. 5* k) *S. Thomas 1. 2. q 93. art. 3.*

dus,& alij probatiſſimi Doctores, fuſius de hac materia ſcripſerunt; In cujus elucidatione,mihi etiam non exiguum lumen ea attulerunt, quæ ante annos 40. in univerſitate Lovanienſi,ex ore celeberrimi & profundiſſimi;SS. Theologiæ Doctoris , & ejuſdem Profeſſoris, Eximij Domini Joannis Wiggers,uti & Clariſſimi J. U. Doctoris,& SS. Canonum Ibidem tunc Profeſſoris, Andreæ Valenſis,calamo excepi.

Cum igitur,prioris mei NUCLEI ſuccus & medulla,tam gratum ſaporem, maſticantium palatui indiderit, ut ejuſdem 1500. compoſitiones(exemplaria impreſſa intelligo)per varias orbis partes diſtractæ,tam brevi temporis ſpatio, ad fundum prope devenerint.Hinc magnam concepi fiduciam,hunc meum alterum NUCLEUM, quem ex varijs Scholaſticorum Hortorum floribus & fructibus ſalutiferis,non minori labore & induſtria,uti apis argumentoſa, fideliter exuxi & decerpſi,ac in alveare hoc,uti mel deſpumatum recondidi,non minorem priore,dulcedinem guſtui tuo,LECTOR BENEVOLE,allaturam ut cum Pſalmiſta dicere poſſis [1]Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo, Spiritus enim Domini, qui

[1] *Pſal.*118.

qui Auctor est LEGUM justarum *m* super mel dulcis, & hæreditas ejus super mel & favum.

m *Eccl.24. v.27.*

PROEMIUM.

MOyses Gentis Hebrææ Dux, primus omnium, divinas Leges, sacris Litteris explicavit (*a*) Foronæus Rex Græciæ primus LEGES, Judiciaque constituit, unde etiam Forus seu Forum, locus exercendarum litium, nomen accepit. (*b*) Mercurius Rex, Trismegistus dictus, quod summus esset Philosophus, Rex & Sacerdos, primus LEGES Ægyptijs tradidit. (*c*) SOLON, primus LEGES Athenienſibus dedit (*d*) Lycurgus, primus Lacedemonijs & Spartanis, Jura, ex Apollinis auctoritate confinxit. (*e*) Pythagoras etiam, dissolutos Crotonienſium mores, per LEGES, ad honestatem & frugalitatem reduxit

(a) *Exodi* 20. 21. 22 *&* seqq. b) S. *Isidorus lib.* 5. *&* 18 *Etymol. ac dist.* 7. *cap. Moyses, &* c. *Forus* 5 *Decretal. de verborum significatione,* c) *Iustinus lib,* 2 *Histor.* d) *Idem lib,* 3. e) *Idem lib.* 20.

xit. (f) Numa Pompilius, qui Romulo succes-
sit in Regno, primus LEGES Romanis edidit.
Deinde cum populus seditiosos Magistratus,
ferre non posset, LEGES Solonis, ab Athe-
niensibus accepit, quas decem viri ad illos
missi, ex Græca Linguâ, in Latinam translatas
in decem tabulis eburneis descriptas, Ro-
mam attulerunt, duasque tabulas addide-
runt, unde LEX duodecim Tabularum no-
men sumpsit, quæ principium fuit, Juris ci-
vilis scripti, quo hodie utimur. (g) Ex illis ve-
ro, qui etiam de LEGIBUS sapientissime scri-
pserunt, præter Aristotelem, præ cæteris, ex-
celluit divinus Plato, & Orator Cicero, cum
uterque, præter alias LEGES humanas, et-
iam quandam divinam & æternam cognove-
rit, uti hic, in binis Libris de LEGIBUS, Ille
in Tymæo & Phædro, ac Dialogo, disertis
verbis docuit,

Inter Christianos vero, primum in hac ma-
teria LEGUM, sibi locum, jure merito ven-
dicat, splendidum illud Catholicæ Ecclesiæ
Jubar, & Hispaniarum Doctor S. ISIDORUS,
h) Regali progenie satus, frater S. Fulgentij
& S. Leandri, cui in Archiepiscopatu Hispa-
lensi

f) *S. Isidorus cit. loco & dist. 7. cap. fuerunt*
glossa in lib. 2 §. Exactis. g) *Maranta in Spec.*
p. 3 h) *Petrus Medina Hispaniar. Hist. c. 45.*

lensi succesſit, cuique per annos 40 ſanctiſſime præfuit, ac circa annum Domini 600 floruit, vir profecto in omni linguâ, arte, & ſciẽtiâ, tam divinâ quam humanâ, ſupra omnes illo ſæculo profundiſſime doctus, uti diverſa ab ipſo edita opera teſtantur, quorum copioſum indicem S. Braulius & S. Ildefonſus, ejus diſcipuli, Poſteritati reliquerunt. Cujus doctrinæ tanta eſt, in totâ Eccleſiâ auctoritas, ut etiam Angelicus Doctor, ex ipſius Libris de Etymologijs, uti ex limpidiſſimis fontibus, rivulos ſuos de LEGIBUS, derivaverit, quibus totum agrum Dominicum irrigavit, qui poſtea tam copioſos fructus in Theologiâ protulit. Cum vero hujus materiæ copia, & amplitudo, tam latum docendi & diſputandi campum, Scriptoribus aperuerit, ut Lectores eum ingreſſi, & ex percepto prolixitatis faſtidio, finem ſe attingere poſſe, deſperantes, in medio itinere, ſæpius ſubſiſtere, ac proinde imperfectam ſcientiam, inde elicere ſoleant: Hinc ego, magno animo, hunc Scriptorum de LEGIBUS campum ingreſſus & emenſus, inventos in eo flores, & fructus luſtravi, ac utiliores & ſalubriores decerpſi, eorumque ſuccum & medullam, in unam confectionem redegi, hisque præſentem meum NUCLEUM, imbibi, & elaboravi: Ideoque in hunc potiſſimum

mum scopum collimavi, ut brevis quidem & facilis, non vero obscurus esset; nec tamen quidquam scitu dignum, vel necessarium deesset: in hoc, pro exiguo meo modulo, conatus imitari, Doctorem Angelicum (quamvis sciam, me ne minimam ejus umbram attingere posse) cujus perpetua laus est in Ecclesiâ, quod vastissimas & subtilissimas in Theologiâ Quæstiones, mirâ perspicuitate & brevitate explicaverit; cujus etiam doctrinam, & ordinem in omnibus tenui, quantum potui; commonitus vivæ vocis oraculis summorum Pontificum URBANI V. INNOCENTII, & aliorum quibus declarant, periculum declinandi à Scopo Veritatis eos incurrere, qui ab hujus Angelici Doctoris doctrina recedunt, & in eâ tot esse miracula, quot inveniantur articuli, cujus etiam infallibilis veritatis testimonium, ipse Christus Dominus, divino suo ore dedit, hanc vocem emittens BENE DE ME SCRIPSISTI THOMA.

APPRO-

Cicero Lib. 3. de LEGIBVS.

Nihil est tam aptum ad JUS Conditionemque NATURÆ, quam LEX, sine quâ nec domus ulla, nec Civitas, nec Gens, nec Hominum universum Genus stare, nec rerum Natura omnis, nec ipse Mundus potest.

Idem Libro 1. De ORATORE.

Docemur auctoritate nutuque LEGUM, domitas habere libidines, coercere omnes Cupiditates, nostra tueri, ab alienis, mentes, oculos, manus abstinere.

S. AUGUSTINUS.

Libro 19. de Civitate Dei. cap. 21.

Quod JURE fit, JUSTE fit; Quod autem fit injustè, nec JURE fieri potest: non enim JURA putanda sunt, vel dicenda, iniqua Hominum Constituta, cum illud etiam Ipsi JUS esse dicant, quod de JUSTITIÆ fonte manaverit.

NU-

NVCLEI

TRACTATVS PRACTICI DE LEGIBUS.

CAPUT I.

Vnde LEX *dicatur, quid sit? Quotuplex? Quæ ad eam requirantur? Quis ejus sit finis? Et quis eam condere possit.*

LEGEM à ligando dictam, quod proprius ejus sit effectus, ligare, seu obligare, docet S. Thomas 1.2. q.90. art.1. S. Isidorus vero lib 2. Etymol: cap.10. á legendo derivat, quod debeat esse scripta, & ideo legenda. S. Augustinus in q. ex novo Testamento q. 15. ab eligendo dictam putat, quod unicuique ostendat, quid sibi eligendum.

Definitur LEX à S. Thoma 1.2.q. 9.art.4. *Quod sit Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam Communitatis habet, promulgata.* Vel juxta Sotum de Jure & Justitia *Est justa ordinatio Superioris publicam haben-*

tis pot: ſtatem, cum voluntate obligandi Subditos, ad aliquid agendum. vel non agendum. In qua definitione *juſta ordinatio & publica poteſtas* loco generis ponuntur. Reliqua vero, adduntur loco differentiæ, & in illis, virtute includuntur, omnes conditiones LEGIS.

Dividitur *Lex, in aternam, naturalem, Gentium & Poſitivam. Hac in divinam veterem & novam, & Humanam. Hac denuoin Eccleſiaſticam & Civilem.* de quibus infra latius dicetur.

De ratione verò, & eſſentia omnium LEGUM eſt, ut præcipiat juſta, & rationabilia. Secundo requiritur, ut Religioni congruat. Tertio. Quod Diſciplinæ conveniat. Quarto ut ſit poſſibilis & univerſalis. Quinto ut pro bono communi feratur. Ita S. Thomas 1. 2. q. 90. art 2. Cajetanus, Soto, & omnes Canoniſtæ & Juriſtæ.

Definire autem, quando in his conditionibus, ſit defectus ſubſtantialis : ex prudenti pendet judicio, quod oportet, eſſe valde certum, ut ex hoc capite, LEX poſſit cenſeri nulla; nam ſi res ſit dubia, præſupponendum eſt, pro Legislatore. Ita S. Auguſtinus 22. contra Fauſtinum cap. 75. & cap: quid culpatur 23 q. 1.

Finis propinquus LEGIS eſt coërcere huma-

humanam audaciam, & frænare nocendi facultatem, aut facere homines bonos, ut docet S. Thomas 1.2.q.92.art.1. Remotus vero finis LEGIS est bonum commune.

Causa efficiens LEGIS, est Superior, publicam habens potestatem, in subditos, quibus illa LEX imponitur. Reginaldus in praxi lib.13.cap.3. unde ad valorem & substantiam LEGIS, tantummodo est necessarium quod res illa, de qua fertur, sit utilis, & conveniens, ad bonum ipsius Communitatis, cum circumstantijs, prout fertur, ac proinde, bonum commune, debet esse intentum, intentione operis, ita scilicet, quod ipsum opus LEGIS, sit referibile ac conducens, ad commune bonum, quod non præstatur ei, à Legislatore, aut ejus intentione, sed habet hoc ipso quo utile est, ad bonum Communitatis promovendum. Quare etiamsi Legislator, ex odio aut alio pravo LEGEM ferret, subsisteret tamen, modo simul in commune bonum cedat, quia illa prava intentio, est mere personalis, & non redundat in actum, quatenus ad communitatem spectat, quia, quod ex libidine, Superiores præcipiunt, hoc absque libidine & mala passione possunt Inferiores exequi & adimplere. Sed si absque justâ causâ, quæ in bonum commune tendat, sub spe-

cie communis LEGIS, procuraret Superior damnum alicujus Tertij; tunc clara est Injustitia, neque LEX vera censeri debet. Unde in tali casu liceret ab ea appellare, vel exceptionem doli, contra illam ponere, ut cum multis alijs docet. Bartolus in LEGE omnes populi. ff. de Justitia & Jure.

Condere vero LEGEM, pertinet vel ad totam multitudinem, vel ad personam publicam, quæ totius multitudinis curam habet: quia potestas condendi LEGEM, debet habere conjunctam potestatem coactivam, ad LEGIS observationem, puniendo scilicet contumaces & transgressores, ut hic indicat D. Thomas quæst: 90. ad secundum. Atq; potestatem coactivam, nullus privatus habet quia per imparem, multo minus in multitudinem, potest habere coactionem aut imperium. Ergo &c.

Quod autem dicit Apostolus, quod Gentes, quæ LEGEM non habent, naturaliter ea quæ LEGIS sunt, faciant; intelligendum est quod gentes dicantur sibi ipsi LEX; non quod singuli ponant sibi, & minus multitudini illam LEGEM, sed, quod sine LEGE positiva, exterius ipsis tradita, agnoscerent LEGEM, Divinitus insculptam cordibus suis. Illa autem LEX non erat ab ipsis tanquam

Aucto-

Auctoribus, sed ab ipso Deo, qui cum natura simul LEGEM hanc, mentibus nostris inseruit. Fuit tamen, in illis, tanquam subditis, qui debebant juxta illam se gubernare.

Patent hæc, ex sequentibus, dum additur, qui ostendunt opus LEGIS, scriptum in cordibus suis, Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, quæ scilicet redarguebat illos contra LEGEM agere, quando suis cupiditatibus & passionibus indulgebant.

Accedit, quod dictamen rationis cujusq; particularis, non possit obligare communitatem, unde licet, quatenus propriam personam dirigit, dicatur esse instar privatæ LEGIS, non tamen potest vocari simpliciter LEX, quia neque Communitatem respicit, ad eam dirigendam, neque ad commune bonum refertur.

Unde ad LEGEM ferendam, non sufficit potestas œconomica, quæ versatur, inter partes, alicujus communitatis imperfectæ, ut circa domesticos alicujus Familiæ, sed etiam requiritur Potestas Politica, quæ dicitur Jurisdictionis, per se primo, respiciens communitatem perfectam, ejusque partes, ut sit capax gubernationis politicæ. ut communiter tradunt Canonistæ in Capit. cum accessisset, de Constitutionibus.

Hæc vero Potestas, duobus modis, aliquibus potest convenire, quibusdam proxime & immediate, ab ipso Deo; cum enim ipse, omnium sit naturaliter supremus Dominus, potest hanc suam potestatem, alijs communicare, & per participationem, in illos transferre. Sic in veteri Testamento Moyses, David, & alij immediatè à Deo acceperunt potestatem, regendi Populum Israëlitacum. Similiter & jam in novo Testamento, accipit Potestatem suam summus Pontifex, non ab Electoribus, neque ab ipsa Ecclesia; sed immediate à Christo Domino.

Secundo autem, obtingit Potestas, aliquibus ab ipsa communitate, quia omnis communitas perfecta, tanquam corpus quoddam rationale, & liberum, habet naturaliter Jus, regendi seipsum, unde etiam, potest communi consensu, hoc jus, in unum aliquem, vel personaliter tantum, vel in illum & ejus posteros transferre, illique quasi vices suas delegare, idque convenienter, cum sit admodum difficile, quod populus totus, semper conveniat, ad consultandum, de necessarijs, ad commune bonum, & ad LEGES oportunas condendas. Unde non est contra naturam rationalem, sed potius ipsi conforme est, ejusque ordinem perficiens, quod quidam

dam præsint & regant, alij subsint, & regantur: ut facilius vitetur, in humano genere omnis confusio. Wiggers in 1.2.qu. 90. articulo 3.

CAPUT II.

Vtrum promulgatio sit de ratione LEGIS *& qualis sufficiat?*

DE ratione LEGIS est Promulgatio. Ita S. Thomas 1.2.q.90.art.4. & inde habet suam virtutem; quia LEX, est regula quædam, & mensura moraliter operandi: sed regula & mensura non possunt fungi officio suo, nisi applicentur: Ergo, ut LEX habeat virtutem suam, debet quoque applicari. Applicatio autem LEGIS, fit per promulgationem.

Quod vero attinet, ad qualitatem & modum Promulgationis, ea non omnino uniformiter se habent, quo ad omnes LEGES, nam LEX Æterna, & LEX naturalis, censentur promulgari, per lumen Rationis, quo menti Deus indidit lumen naturæ & sic quasi in habitu, LEGES has, Homini promulgavit, ut docet D. Thomas 1.2.q.90.art.4. nam sufficiens principium, eas cognoscendi, dedit.

Perficitur autem ista Promulgatio, per

naturalem Syndereſin, quæ Homini, quando ratione uti incipit, eaſdem LEGES inculcat.

LEX vero Divina Poſitiva, & LEX Humana, debent exterius dictis, aut ſcriptis publicis, promulgari, ut obligandi vim habeant idque, ut innoteſcere poſſint ijs, quibus imponuntur. Neceſſarium tamen non eſt, ut de facto omnibus innoteſcant, multo minus, quod ſingulis per ſpeciale Mandatum, aut Litteras intimentur, ut conſtat ex capit. primo de poſtulatione Prælatorum.

Ignorantia tamen invincibilis, ſemper excuſat in foro conſcientiæ, in foro autem fori etiam excuſare ſolet, quando poteſt probari, quæ probatio facilè admittitur, uſque ad bimeſtre, à promulgatione, non ſic deinceps, quia tum cenſetur, omnibus potuiſſe innoteſcere, niſi quis, voluntarie voluerit ignorare.

Quando tamen, LEX eſt irritans Contractus, Donationes, Electiones, aut ſimilia, vel revocans Privilegia, mox plenam vim habet poſt ſufficientem Promulgationem, eandemque de facto exercet (Quando tamen aliud determinatum tempus non exprimitur, quo vires exercere incipiet) etiamſi invincibiliter ab aliquibus ignoretur.

Ea-

Eadem est ratio LEGUM, quæ constituũt precia rerum, vel quæ inducunt aliquas inhabilitates, in certas Personas, unde si quispiam, post hujusmodi LEGEM sufficienter promulgatam, aliquid istorum, ex ignorantia invincibili tentaverit, actus ejus invalidus erit, & nullus. Wiggers in 1.2.q.90.

An vero, ut LEX Pontificia obliget, debeat esse promulgata, in ipsa Provincia, quemadmodum de Imperatoria LEGE, docent Jurisconsulti; An autem sufficiat, quod Romæ sit publicata, disputatur inter Theologos.

Certum autem est, Pontificem posse sic condere LEGES, quæ ubique obligent Fideles, post Promulgationem Romæ factam sic, ut peccent, qui eas non observant, nisi ignorantia invincibilis excuset.

Verisimilis tamen est opinio Illorum, qui dicunt, Pontificem uti tali benignitate, in LEGIBUS inducendis, qua Imperator, & proinde, ejus quoque LEGES non obligare nisi in Provincia fuerint promulgatæ, cum ditio Pontificis non minus, imo multo latius se extendat, quam Imperatoris, & habeat Episcopos, per quos possit in singulis Provincijs publicare. Imo quia hi proximè Populum regunt, æquum satis est, ut ab his quoque

que Populus LEGES accipiat. Ita docet Soto libro 1. de Justitia & Jure. q. 1. art. 4. Angelus verbo LEX q. 13. Cajetanus & Medina contra Sylvestrum & alios quosdam.
Hæc tamen intellige, nisi contrarium, in LEGE exprimatur, ut aliquando contingit, in LEGIBUS de male promoventibus & Promotis ad Ordines, quas Pontifex expresse vult obligare, in urbe quidem 15. die à Promulgatione, citra alpes post 4. menses. ultra autem post novem.

CAPUT III.

Virum effectus Legis sint, Hominem facere bonum? & qui sint actus Legis?

RESpondet S. Thomas 12. q. 92. affirmative; quia omnis LEX est instituta, ut Homines eam sequentes, efficiantur boni, vel simpliciter, vel secundum certum modum & finem.

Lex enim supernaturalis, eo tendit, ut Homo fiat bonus, per virtutes divinas, atque adeo efficiatur per gratiam filius Dei adoptivus. Lex Naturalis, ut fiat bonus Virtutibus moralibus, commensuratis naturæ. LEX Civilis, ut fiat bonus Civis. Ecclesiastica autem, ut quis sit bonus Christianus, saltem secundum exteriores actus.

Lo-

Loquendo de veris, & proprie dictis LEGIBUS, id quod dicitur LEGIS effectum esse, facere hominem bonum simpliciter aut secundum quid, sic intelligendum: Quod quædam LEGES, eo respiciant proxime, ut faciant hominem bonum, & perfectum, secundum absolutam rationem virtutis, ut dici potest de LEGE Christi, aut Charitatis. Quædam vero, eo respiciunt proxime, ut faciant hominem bonum, secundam aliquam particularem virtutem, ut sunt pleræque LEGES Humanæ, ita quod hoc etiam attribuendum sit LEGIBUS Civilibus, quod intendant, finem facere bonum, & secundum moralem rationem virtutis, ut constat ex Aristotele 3. Politicorum 4. ubi dicit Finem Civitatis esse, bene vivere, & honestatem aliquam participare.

Actus Legis sunt, imperare, vetare. permittere & punire, quia LEGIS est, bene dirigere & componere Rempubl. in ordine ad commune bonum; ut autem hoc præstet, debet actus quosdam, tanquam utiles & bonos suscipere, quosdam autem tanquam malos & noxios vitare. Item aliquando necessarium est, ad Reipubl. tranquillitatem, ut quædam minora incommoda tolerentur, ad graviora præcavenda.

Hinc etiam LEX debet quædam permittere. Unde in quibusdam locis tolerantur lupanaria, & usuræ, ut vitentur adulteria Furta & Rapinæ, Expilationes, & similia majora mala. Denique quia LEX frustra esset, nisi illi obtemperaretur, propterea accedit quartus actus, qui est punire, quatenus timore pœnæ, quam LEGES statuunt, multi inducantur, ad LEGUM observantiam, juxta illud oderunt peccare Mali, formidine pœnæ.

CAPUT IV.

Quid sit LEX æterna? & an omnibus nota? omnisque LEX ab ea derivetur? Ac omnia necessaria & æterna, uti & naturalia contingentia, & omnes res humanæ illi subjiciantur?

LEX *Æterna nihil est aliud, quam ratio Divinæ Sapientiæ, secundum quod est directiva omnium motuum & actionum Creaturarum.* Ita S. Thomas 1. 2. q. 93. art. 1. Declaratur: Sicuti enim in mente Artificis, præexistit Idæa sive Exemplar eorum, quæ exacte facere intendit; ita necesse est, ut in mente cujusque Rectoris (ut bene gubernet) reluceat ordo, juxta quem debeant omnia operari, & sese habere, quæ ejus guberna-

bernationi subsunt. Ordo autem ille, est LEX quædam & Regula, unde, quia existit in mente Divina, merito vocatur LEX Æterna, quia ille æternus est, sicut mens Divina est æterna.

Differt autem ab Idæa Divina; quia hæc est exemplar rerum faciendarum: LEX autem Æterna, est ordo rerum gubernandarum, cum voluntate astringendi, ad illum operandi modum.

Differt etiam, à Divina Providentia, quia hæc respicit res singulas in particulari, ita, ut nihil omnino, in hac, amplissima, totius creaturæ veluti Republica fiat, quod non à summo illo Imperatore Deo, per suam providentiam, in particulari, sit decretum vel permissum, ut sit autem LEX Æterna, non respicit res singulares, singulas in particulari: non enim, circa singulos Homines, sunt diversæ LEGES æternæ, sicut sunt, circa singulos, diversi modi Divinæ Providentiæ, sed respicit singulas rerum species. Unde, una communi LEGE Æterna, gubernatur totum genus humanum, sicuti est una LEX Naturalis, communis in omnibus hominibus.

LEGEM Æternam, nullus potest cognoscere, prout in se ipsa est, nisi DEUS &

Beati, qui vident DEUM per essentiam; sed omnis natura rationalis, eam cognoscit, secundum aliquam ejus eradiationem, quam quidam plus, quidam minus participant. Ita S. Thomas hic art. 2. Prior pars per se evidens est; quia à parte rei, non distinguitur ab ipsa Dei essentia. Unde, sicuti solus DEUS & Beati, cognoscunt Divinam Essentiam, ut in seipsa est, ita quoque hi soli, cognoscunt Æternam LEGEM, ut in se ipsa est. Posterior pars probatur: quia omnis creatura rationalis, habet impressam LEGEM naturæ, quæ est quædam participatio, LEGIS Æternæ: Immo omnis cognitio veritatis circa res agendas, est quædam hujus LEGIS irradiatio; atqui omnes, habent aliqualem cognitionem veritatis, ad minus, quantum ad principia communia, & prima LEGIS Naturalis, ut, quod mala sint vitanda, & honesta procuranda: nam signatum est super nos lumen vultus ejus, ut dicitur psalmo 4. Ergo, &c.

Omnem LEGEM iustam ab Æterna derivari docet hic S. Thomas. q. 93. art. 3. & S. Augustinus de lib. arbitr. libro 1. cap. 6. dum ait: In temporali LEGE nihil est justum & legitimum, quod non ex LEGE Æterna derivetur.

Hæc

Hæc vero, non est per seipsam, nota Hominibus, in hac vita; sed vel in aliis LEGIBUS, vel per illas, quia sicut causæ secundæ ostendunt primam, & Creaturæ Creatorem; ita LEGES temporales, quæ participationes sunt, LEGIS æternæ, ostendunt fontem, è quo manant. Ita Suarez lib. 2. de LEGIBUS. cap. 4.

Huic LEGI Æternæ, subjiciuntur omnia necessaria, in rebus creatis; non autem necessaria, quæ pertinent, ad naturam vel essentiam Divinam. Hæc enim sunt realiter, ipsa Dei essentia, & LEX ÆTERNA. Ita S. Thomas hic art. 4. Nam quæcunque subjiciuntur Divinæ gubernationi, subjiciuntur LEGI ÆTERNÆ; atque omnia, quæ DEUS creavit, sunt sub ejus gubernatione; Ergo &c.

Huic etiam LEGI, subjiciuntur Naturalia contingentia, quia hæc omnia, habent naturales motus suos, virtute Imperii, per DEI verba impressi, quando in sua Creatione, virtutes, & facultates naturales acceperunt. Aliquando etiam, faciunt verbum ejus, secundum specialem aliquam Dei ordinationem, ut, quando concurrunt modo quodam extraordinario, ad vindictam Peccatorum, ut quando Mundus periit per diluvium; & prout dicitur Sap. 5. cap. Et pugnabit pro eo Orbis terrarum contra Insensatos. Si-

Similiter; illi subjiciuntur, omnes Res Humanæ, Ita S. Thomas hic q. 93 art. 6. Et quidem, irrationales Creaturæ, per modum actionis & passionis, in quantum participant, per modum interioris principii motivi, quo ad generationem, nutritionem, accretionem &c.

Creaturæ vero rationales, illi subsunt, eamque participant per cognitionem ipsius LEGIS, quatenus mediante lumine rationis, aut per Divini verbi Præcones, agnoscunt Dei voluntatem, & Mandatum, secundum quæ vitam & actiones liberas, instituere & formare debeant.

CAPUT V.

De Jure vel LEGE naturali.

Quid sit LEX naturalis? Et an eius præcepta sint plura, vel unum? Et an sit una apud omnes?

LEX NATURALIS *est quædam participatio* LEGIS *æterna in rationali Creatura, qua bonum & malum discernit.* Ita S. Thomas, 1.2.q.91.art. 2. *Sive est dictamen & judicium nostræ rationis, quo per lumen, nobis ab æterna* LEGE *impressum, aliqua esse bona, seu naturæ nostræ consentanea, certo cognoscentes,* sta-

statuimus ea agi debere, aut cognoscentes, esse mala, seu naturæ nostræ dissentanea, minimeque congrua, statuimus debere vitari. Quod Judicium, quatenus est à Deo, qui indidit nobis Naturam, secundum quam, ita iudicaremus, rationem habet Legis, seu Regulæ rectè vivendi, nobis à Deo impositæ. Reginal. in Praxi fori pœnitentialis lib. 13. tract. 2. in Proëmio. Juxta illud Psal. 4. Signatum est super nos, lumen vultus tui, Domine.

Plura quidem sunt præcepta Legis Naturalis, quæ tamen omnia, aliquo modo fundantur in uno: Quod bonum sit faciendum, & malum vitandum. Ita S. Thomas. 1. 2. q. 94. art. 2. nam omnia naturæ præcepta radicantur in eo, quod bonum sit faciendum & prosequendum, & malum vitandum, ut scilicet, illa omnia facienda, aut vitanda, pertineant ad præcepta Legis Naturæ, quæ ratio practica, inquit D. Thomas q. 94. art. 2. naturaliter facit esse bona humana.

CAPUT VI.

An LEX Naturæ sit una apud Omnes?

Lex Naturæ, quo ad prima & generalia, principia rationis practicæ, est una, & eadem apud omnes, tam quoad rectitudinem, quam quo ad notitiam. Est Divi Thomæ

Thomæ hic: Semper enim, & ubique, Homines agnoscunt, & judicant, bonum esse præferendum, malum fugiendum, convenienter secundum naturam Hominis, esse vivendum, quia ejusmodi principia ingerit ac demonstrat, per se ac evidenter, naturale lumen intellectus, quod est, veluti proprietas consequens, non rationem propriam alicuius individui, aut alicuius Gentis, aut Nationis, sed specificam naturam hominis, quæ eadem est in omnibus.

Unde manifestius est, LEGEM Naturæ, esse eandem apud omnes, si accipiatur, non pro aliquo actuali Judicio rationis practicæ; sed pro illo principio, in quo veluti in habitu, continetur illud judicium, scilicet pro intellectuali lumine, pro quo dictum supra: LEGEM Naturæ aliquando, nec inconvenienter accipi.

Quo ad propria vero quædam, & particularia Præcepta, quæ ex locis illis deducuntur, non est LEX NATURÆ, omnino eadem semper, apud omnes, neque quo ad notitiam, neque etiam quo ad rectitudinem, quamvis bene; ut plurimum, eadem sit quia, reddendum esse depositum, est præceptum LEGIS NATURÆ, & tamen aliquando incidit casus, quo non esset rectum, sive rationi consonum,

sonum, reddere depositum: V.G. ut Patriam impugnet: Non autem, esse eandem, quo ad notitiam, patet: quia rectum Judicium, in rebus agendis, circa particulares, & specificas notiones, sæpius impeditur in multis, sive passione, sive mala consuetudine, depravante, aut obscurante rationem: Sic quod bonum, & honestum, non videant, aut videre nolint. Unde factum est, quod diversæ Nationes, & Gentes, habuerint aliquando varias LEGES, ipsis Præceptis Naturæ contrarias. Ut refert D. Hyeron. li. 2. contra Jovinianum, & Theodoretus libro 9. Græcanicarum curationum.

CAPUT VII.

An LEX NATURÆ *mutari, vel in ea dispensari possit; & an* ἐπικείᾳ *in ea, locum habeat?*

DIstinguit D. Thomas duplicem modum, quo potest intelligi, fieri circa LEGEM mutatio: nam potest intelligi, fieri per quandam additionem, & potest intelligi per modum substractionis, sive defectionis.

Quod ad priorem modum attinet, certum est, nihil omnino prohibere, sic LEGEM Naturalem mutari, quia multa superaddita sunt,

supra

supra LEGEM Naturæ, ad Hominum utilitatem, & convenientem directionem, tam per LEGEM Divinam Positivam, quam etiam per Humanas. Unde de hoc Mutationis genere, quæstio non est, cum neque proprie sit mutatio LEGIS, utpote quæ in sua integritate perseverat, non obstante ejusmodi additione.

Difficultas itaque tota est de Mutatione, quæ fit per ablationem, aut defectionem LEGIS, sive obligationis ejus. vbi

Notandum Primo. Mutationem hujusmodi, in rebus, dupliciter solere contingere, aliquando ab intrinseco, aliquando ab extrinseco, & utrumque modum posse ad LEGEM, saltem in communi, applicari: nam interdum, LEX per seipsam, quasi ab intrinseco, mutatur & deficit, V. G. quando ex utili, & rationabili, fieret noxia, & contra rationem, vel quia, pro certo tempore, tantum posita est, quo exspirante, LEX per se extinguitur.

Aliquando autem, potest induci talis Mutatio, quasi ab extrinseco agente, puta, si à LEGISLATORE, pro parte, vel in totum, rebus alioquin cæteris, se eodem modo habentibus, tollatur.

Quas Mutationes, locum habere in multis

positi

positivis LEGIBUS, dubium non est; sed, an in LEGE Naturali, accidere possint, disputatur, tum quoad mutationes ab extrinseco, quam ab intrinseco. Ut: An per Divinam dispensationem, circa Aliquos possit LEX Naturæ mutari & desistere, quasi pro parte, respectu scilicet eorum, cum quibus, vel in quibus dispensatur.

DICO I. De LEGE Naturali proprie & strictè loquendo, videtur convenientius dici, & verius, quod ipsa non possit per seipsam, ab intrinseco mutari, sic, ut deficiat, aut desinat, neque in universali, neque in totum, neque in particulari, sive pro parte, & respectu aliquorum, in ordine, V.G. ad eos, qui ratione utuntur, & rationis capaces sunt, quod semper hic præsupponi debet.

Probatur Primo: quia LEX Naturæ, dicitur in Scripturis, fœdus sempiternum. Isaiæ 24. Ergo mutari non potest. Secundo. Quia LEX Naturæ est veluti imago quædam æternæ LEGIS, in Divina Mente existentis; atqui hæc est immutabilis: Ergo & LEX NATURÆ. Tertio LEX naturalis, tantum continet, prima principia morum, per se nota & necessaria ad conclusiones, quæ ex illis, necessaria collectione sequuntur, sive proxime, sive mediantibus pluribus illationibus;

atqui

atqui ista principia, mutari non possunt, sicu
ti, nec ipsum Lumen Rationis, mutari potes
& per consequens, nec mutari possunt, con
clusiones, ex illis principiis, per necessarian
illationem, deductæ, quia quod sequitur, e
principiis necessariis, & immutabilibus, tan
quam causis intrinsecis, hoc ipsum quoqu
necessarium, & immutabile est: Ergo Na
turæ Lex, non potest per seipsam mutari, u
desinat, sive in totum, sive pro parte. Name
videns est, & extra omnem controversiam
quod prima, & universalissima principia Le
gis Naturæ, in quibus, fundantur reliqu
eius præcepta, sint perpetuæ veritatis, & om
nino immutabilia, neque in ullo casu defi
ciant. V.G. Quod homini secundum dicta
men rationis sit vivendum, quod vitia sin
fugienda, quod virtutes, tempore & loco
debitis, sint amplectendæ.

Dico Secundo. Non potest quoque mu
tari Lex Naturæ, quo ad sua præcepta pro
priè loquendo ab extrinseco per Humanam
auctoritatem, sive per diversationem, vel per
quamcunq; aliam dispensationem: Probatur
Præcepta Legis Naturalis, secundum quod
à ratione dictantur, sunt immutabilia natura
sua. idque habent ex ipsis rebus, quas præci
piunt vel prohibent: atqui non potest hu-

mana

mana Potestas mutare, quod ex natura est immutabile, quia Jus Naturale, quo ad omnia præcepta sua pertinet quodammodo, ad naturales proprietates Hominis, ut homo est, & non potest mutare proprietates rerum.

Deinde, non potest Homo, mutare LEGEM æternam: Atqui non potest, LEX naturæ mutari, nisi etiam mutetur LEX æterna; quia est quædam vera expressio æternæ LEGIS: Ergo &c.

Notandum primo. Multis modis posse aliquid dici, esse de Jure Naturali. Unus & maxime proprius est, quando LEX aliqua Naturalis, hoc præcipit fieri, aut non fieri; id enim propriissime dicitur esse de LEGE Naturæ: ad hoc autem necessarium est, quod Ratio Naturalis, per se spectata dictet, illud fieri, aut non fieri, esse necessarium, ad morũ honestatem, sive interim illud dictet absque Discursu, sive ex Discursu uno, aut pluribus, parum enim id refert, dummodo, illationes omnes, sint necessariæ, sic, quod subjectum habeat necessariam connexionem cum Honestate.

Alio autem modo, dicitur aliquid, esse de Jure Naturali, non, quod LEX aliqua Naturæ præcipiat, ita esse, sed, quia Natura concedat

cedat hoc promiscue Omnibus, sic tamen quod nec Ipsa, nec Ratio Naturalis, per LEGEM prohibeat, illud abdicari, vel auferri convenientibus Modis. Et hujusmodi, quamvis dicantur, Naturali Jure competere Omnibus; non tamen dicuntur proprie, esse de LEGE Naturæ, quia LEX, proprie versatur, circa materias, quæ prohibentur, aut mandantur. Wiggers in 1. 2. q. 90.

Ex quibus licet colligere, quod isti duo modi essendi de Jure Naturali, dicantur omnino Aequivocè, nam priori modo, dicitur illud de Jure Naturæ, quod est LEX Naturæ, vel LEGE Naturæ præcipitur.

Posteriori autem modo illud, quod est Dominium aliquod, aut quasi Dominium Hominibus à Natura attributum. Unde prius, ab Aliquibus, vocatur Jus Naturæ præceptivum, & alterum, Jus Naturæ Dominativum, quia Jus est, aut Dominium, quod Natura dat.

Quidam aliter ista distinguunt, sic: quod quæ priori modo sunt, de Jure Naturali, dicant, ea positive esse de Iure Naturæ. Quæ autem posteriori modo sunt, dicant esse de Jure Naturæ, tantum Negative aut Permissive: quia scilicet Natura, sive Naturalis Ratio Positiva ista mandat, Hæc vero non man-

dat

dat Positivè, sed quasi permittat unicuique ista, quantum est ex parte sua, absque prohibitione, si aliter res se habeant.

Tertio modo, potest aliquid dici de Jure Naturali; quia aliquod habet fundamentū in Naturali Hominis Conditione, licet non simpliciter LEGE Naturæ præcipiatur. Sic Jura Civilia dicunt, Naturali Jure Filium succedere Patri, ab Intestato. Quamvis enim, Naturæ LEX, hoc non absolutè præscribat per Mandatum, tamen inclinat in hoc, & quasi Naturaliter, ad conditionem Hominis id sequitur, nisi, aliunde ponatur aliquod impedimentum. Præterea stare Testimonio duorum vel trium Testium, & quædam similia solent aliquando dici, esse de Jure Naturali.

NOTANDUM secundo, Inter ipsas LEGES Naturæ Præceptivas, esse nonnullas, quæ versantur, circa factas Intentiones & Obligationes, quæ per Humanas voluntates fiunt, & introducuntur, ut sunt LEGES illæ, quæ mandant satisfacere votis, servare Juramentum, stare Promissis, &c. Alias vero esse LEGES Naturæ, quæ obligant Immediatè in suis materiis, independenter ab omni prævia Humanæ voluntatis operatione. Ut sunt Præcepta Religionis erga Deum, Pietatis er-

ga Parentes. Item de non occidendo , di
non Adulterando &c.

Unde, Jure Naturali, Bona esse Commu-
nia,& Homines omnes esse liberos , verum
est, juxta secundum modum, quo dictum, ali-
qua dici, esse de Jure Naturali ; sed modu
iste, non importat LEGEM, seu præceptum
Naturæ, quo mandetur , Bona in Commun
esse servanda , aut Libertatem ab omnibu
esse retinendam , sed solum , quod Natura
quantum ex parte sua est, tribuerit Omnibus
communem Bonorum Possessionem,& uni
cuique suam Libertatem.

Quare circa hoc Jus , seu Dominium
quod Vnusquisque à Natura habet , si fi
mutatio aliqua , per humanam Dispositio-
nem , non tamen fit Mutatio idcirco , circ
LEGEM Naturæ, quoad Præcepta Naturali
quod fieri non potest per humanam Potes-
tem.

Differentia vero , inter Jus Naturæ præ-
ceptivum, & Dominativum est , quia illu
prius, continet Regulas & Præcepta bene
perandi, quæ obtinent necessariam verita-
tem,& idcirco immutabilia sunt, fundantu
enim in intrinseca objectorum rectitudine
aut pravitate :

Jus autem Dominativum, est tantum ali-
quo

quod quasi Dominium, quod à Natura est Homini attributum, non tamen cum obligatione idem Jus perpetuo conservandi, sed, quod partim Reipubl. partim etiam privatæ Dispositioni subjacere permisit. Neque enim omnes, qui alicui tribuunt Jus & Dominium alicujus rei, imponunt simul necessitatem conservandi, sed committunt sæpius, ut de hoc possint Alii pro majori suo, aut Familiæ commodo disponere, & sic quoque Natura in Pluribus agit cum Hominibus.

Quod attinet, ad Præscriptionem, Jure Civili introductam, non mutat hæc quoque LEGEM Naturæ, neque enim efficit, licitum, quod quis tollat, aut possideat alienum, invito Domino, sed facit, ut illud, quod unius aliquando fuit, transeat in Dominium & Proprietatem Alterius, ut tunc sic translatũ, licitè tanquam proprium, ab Altero retineatur, in quo non læditur, neque in aliquo mutatur LEX Naturæ, quia nullum præceptum Naturæ, prohibet Dominiis Rerum translationem, quæ fieri potest, privatâ voluntate & Potestate publica, aut communi Hominum conventu.

Quando vero, LEX Naturæ obligat, ex vi solius Rationis, in materia, independente ab omni humanæ voluntatis operatione & con-

sensu, non potest esse necessitas Exemptionis, ab illa obligatione: nam si LEX sit prohibitiva, erit actus oppositus Intrinsecè malus: Si autem sit præceptiva, sivè Affirmativa, quæcunque omissio illius, similiter pro tempore & loco debitis, erit quoque intrinsece mala. Non potest autem ulla occasio esse sufficiens Ratio. Ut in illis dispensetur, quæ per se mala sunt.

Non tantum, prima & universalissima Principia, sive Præcepta Naturæ; sed etiam Præcepta Decalogi, omnia, sunt prorsus immutabilia, sic, ut ne per potentiam Dei absolutam, in iis dispensari possit. Est D. Thomas 1.2 quæst. 110. art. 8. Cajetani item, Dominici Soto lib. 2. de Justitia & Jure. quæst. 3, art. 1. à victoria relect. de Homicidio. & plurimorum aliorum.

Quoad primam partem, nulla est inter Auctores controversia, nam admittunt omnes, in hæc Præcepta: Malum est fugiendum, secundum virtutem est vivendum, non cadere absolute ullam dispensationem, respectu Hominis liberè & moraliter. Nam, si Deus faciat, quod Homo careat, morali & liberi operatione, impediendo Rationis, & voluntatis liberum usum, excusaretur, aut solveretur quidem ab omni LEGE Naturali sed non

non esset ibi Dispensatio in LEGE Naturæ, sed esset reddere subjectum incapax LEGIS & Obligationis.

Secundam partem Conclusionis, sic probat D. Thomas: Quorumcunque Præceptorum materia, includit inseparabiliter rationem debiti, ut secundum exigentiam Naturę humanæ, debeat ab illa fieri, vel non fieri, in ejusmodi Præcepta, non potest ulla omnino cadere Dispensatio, ne quidem per absolutam Dei auctoritatem, nam implicaret contradictionem. Supponitur enim, quod materia includat inseparabiliter, rationem debiti. Si autem admittatur Dispensatio, iam ponitur, quod ratio debiti tollatur, ac proinde, quod erit ratio debiti, & non erit: atqui omnia Decalogi Præcepta sunt ejusmodi, quod materia eorum quatenus præcise sub ipsa præcepta cadit, includat inseparabiliter etiam ejusmodi rationem debiti. Ergo repugnat, in illis Præceptis dispensari. Vnde D. Thomas dicit, Deum dispensare non posse, quia non potest agere, contra Justitiam suam, quod faceret, si daret licentiam faciendi, quod Injustitiæ rationem involuit.

Cæterum tamen, quia dubium non est, Deum aliquando efficere, quod actus aliqui materiales liceant, qui alias, non interve-

niente Deo,& ejus potestate, licite fieri no
possent. Hinc ut intelligatur, quomodo
fiat,& quare ibi non sit Dispensatio,oport
distinguere in Deo,diversas rationes & tit
los. Est enim supremus Legislator,unde h
bet, quod possit nova & diversa Præcep
imponere,& in iisdem dispensare, aut abr
gare, sicut abrogavit cæremonialia an
quæ LEGIS. Est etiam supremus Dom
nus, non tantum quo ad Bona temporali
sed etiam quo ad Bona nostra Corporalia
quo ad vitam & Mortem quoque Omnium
potest mutare &transferre Dominium. Ite
est supremus Judex,qui potest punire,& u
cuique reddere quod ei debetur.

Dispensatio itaque, propriè loquend
pertinet ad Deum,sub prima consideratio
quia ad eandem Potestatem & Officium p
tinet,LEGEM tollere,sive simpliciter, sive
aliqua parte & consensu Aliquorum, ad q
spectat LEGEM ponere. Quare, ut De
Dispenset,oportet,quod utendo auctorit
LEGISLATORIS, & utendo simul potest
Dominii.res ipsas, sive rerum habitudin
quo ad Dominium, aut quasi Dominiu
immutet,& sic faciat,licere,quod antea n
licebat:nam,si potestate sua, qua suprem
Dominus est, ponat mutationem Dom
rerum

rerum, inter Homines, & sic afficiatur licitū, quod alias non licebat, hoc jam non erit Dispensare in LEGE; sed subducere materiam LEGIS, sub ea ratione, qua prius prohibebatur, ut ex supradictis potest satis intelligi.

Quoties igitur Deus, facit actum aliquem licitum, qui Jure Naturæ, videbatur prohibitus, nunquam id facit, ut purus LEGISLATOR, sed utendo alia potestate, & idcirco non Dispensat proprie in præceptis LEGIS Naturæ.

Possunt hæc in Exemplis declarari, quæ ab Aliis tanquam assertiones, in quibus Deus Dispensaverit, allegantur. Sic quando Deus præcepit Abrahæ, ut interficeret Filium, id fecit tanquam Dominus vitæ & mortis Hominum: nam si Deus per seipsum voluisset illum occidere, non indigebat Dispensatione, sed ex suo Dominio in vitam Hominis, id poterat. Unde eodem modo, absque Dispensatione, in aliqua LEGE, potuit id Abrahæ committere & demandare: nam Præceptum, non occides, sicut non prohibet legitimæ Potestati, quo minus occidat Malefactores, & sicuti non prohibet ei, qui habet supremū Dominium in Hominum vitam, quo minus possit illam auferre: sic quoque non prohibet, subservire iisdem, quando committunt,

aut demandant, ut quis vitam Alterius auferat, atque ita non est opus ibi aliqua Dispensatione.

Simili modo, non Dispensavit Deus, cum Filiis Israel, quando Ægyptiorum supellectilem abstulerunt, sed tanquam verus Dominus, Illis donavit, vel tanquam supremus Judex, reddidit Illis mercedem duræ Servitutis, qua Ægyptiis servierunt tot annis, ut dicitur Sap. cap. 10. Atque ita hic nullum Furtum fuit, super quo posset dici dispensatum fuisse.

Quo autem sensu accipiendum sit, quod Dominus dicitur mandasse Oseæ, ut assumeret uxorem fornicariam, & faceret Filios fornicationis, docet S. Augustinus, Gregorius & S. Thomas, jussu Dei Oseam verum cum ea Matrimonium contraxisse, vel, quod Deus tanquam Dominus illius mulieris tradidit eam Illi, citra Matrimonium fœcundandam. Ita Sotus in 4. dist. 33. q. 1. art. 2.

Propriè & in rigore loquendo, nunquam dicendus erit Deus Dispensare, in quocunque Præcepto Legis Naturæ; quia omne Præceptum Legis Naturæ, debet tale esse, quod ex primis Principiis moralibus, per necessariam consequentiam, possit educi: nam alioqui, non poterit ex vi solius Rationis Naturalis;

turalis Homo convinci obstrictus, ad ejusmodi aliquid, sive faciendum, sive vitandum. Unde efficitur, quod Ratio debiti, sit inseparabilis, ab omni materia Præcepti Naturalis, ita, quod, ipsâ manente immutatâ, non possit. ab ea tolli debitum respectu humanæ Naturæ, moraliter operantis, ita quidem, ut nec Deus possit judicare, aut dictare, aliter, esse Homini faciendum, quam secundum rationẽ talis Præcepti.

Hinc licet, πολιγαμια videatur esse, contra LEGEM Naturæ, ratione ejus, quod vir, qui jam corporis sui potestatem in unam transtulit, prohibeatur LEGE Naturali iterum Alteri dare:

Dicendum est, neque ex illa occasione admittendam esse Dispensationem, sed potuisse id fieri licitum per solam mutationem materiæ, puta, quatenus Deus, qui absolutum habet corporum nostrorum Dominium, potuit ordinare, quod translatio corporis Mariti, in unam uxorem, non esset tam plena, & absoluta, quin reservaretur viro Potestas, & illud dandi, & communicandi Alteri, sive secundæ, sive Tertiæ, atque ita non est aliquid factum contra LEGEM, quæ prohibet, quod jam semel translatum est, in Dominium unius, transferatur in Alterum, quia non pro-

hibet, dare Alteri juxta restrictionem & modificationem, per potestatem reservatam in primâ datione. Sed dictis affine dubium movetur.

Vtrum circa LEGEM *Naturalem possit haberi locum ἐπικεία sive Interpretatio, velà Deo, vel ab Homine facienda?*

RESPONDEO & DICO Primo. Multa Præcepta Naturalia, indigent magnâ Declaratione, & Interpretatione, ad proprium & adæquatum sensum, uniuscujusque statuendum, Quia non omnia Naturalia Præcepta sunt æque nota, & non æque facilia intellectu: unde etiam fit, quod non semper, in præcisis notionibus concipiantur, neque tam adæquatis verbis exprimantur, prout à Ratione Naturali dictantur, quando dictamen illud, propius & exactius inspicitur, & examinatur, inductione aliqua, nam in Præcepto. V. G. non Occides, opus est Interpretatione, ad explicandum, quid nomine Occisionis LEX intelligat: non enim quælibet prohibetur, sed illa, quæ privatâ auctoritate, & extra casum necessariæ defensionis fit.

Hinc etiam in Præcepto, quod manda reddere vota sua Deo, interpretamur, illa reddenda esse, juxta sensum, quem habuit vo-

yens,

vens, in vovendo, ideoque non obligaræ in casibus, sub ejus Intentione non comprehensis. Sic quoque datur Declaratio super LEGE, de reddendo Depositо, & super aliis multis hujusmodi.

Dico Secundo. Non tamen, videtur locum habere ἐπιείκια proprie dicta, in Præceptis LEGIS Naturæ. Pro quo

Notandum Primo, quod licet ἐπιείκια omnis, sit quædam quasi Interpretatio, non tamen omnis Interpretatio Præcepti sit ἐπιείκια, ut notat Cajetanus secunda secundæ q. 120. art. 1. ubi dicit, sæpius LEGES indigere Interpretatione, propter verborum obscuritatem, vel ambiguitatem, aut aliam similem causam, non tamen semper ejusmodi Interpretationem esse ἐπιείκιαν, sed eam solam, qua interpretamur, LEGEM deficere in aliquo particulari propter universale, Id est, cum LEX universaliter lata sit, tamen interpretamur eam non obligare, in aliquo particulari casu, quia rationabiliter & justè, in eo servari non potest, & proinde, quod si LEGISLATOR prævidisset, vel attendisset ad illud particulare, noluisset LEGEM suam, ad hoc extendi, quamvis modo, LEX tam universaliter sit lata, quod in rigore etiam, comprehendat hoc particulare.

Notandum secundo. Posse Præcepta LEGIS Naturalis dupliciter considerari: uno modo, quatenus ab ipsa Naturali Ratione præcisè, & adæquâtè ducantur. Alio modo, quatenus eadem, sæpius iterum positive, ab aliquo LEGISLATORE feruntur. Sicuti, quando Dominus dedit Præcepta Decalogi per Moysen: non enim Filij Israël soli LEGE Naturæ tenebantur, ad observationem Decalogi, sed etiam positiva Dei LEGE. Sic quoque sunt multæ LEGES humanæ, quæ continent naturalem Justitiam, ut quod depositum reddatur, quod contractus serventur, quod quis alterum non occidat, quod uxor à viro non separetur &c.

Notandum tertio. Conclusionem hanc intelligi, de Præceptis LEGIS naturæ, priori modo consideratis: nam si posteriori modo considerentur, non erit inconveniens, in ejusmodi LEGIBUS Positivis, admittere aliquam ἐπιείκειαν quia potest LEGISLATOR facere, LEGEM suam quasi magis universalem, quàm propriè & per se, à naturali ratione dictetur, ratione cujus poterit admittere quandam emendationem in particulari propter universale.

Probatur: nam qua ratione, in LEGEM Naturæ non cadit Dispensatio, eadem quo-

que

que non potest in eâ ἐπιεικείᾳ habere locum quia idcirco, in illa Præcepta, non cadit Dispensatio; quia materia illorum, ab extrinseco & inseparabiliter, continet rationem debiti. Unde fit, quod, etiamsi fingamus, omnem Superioris Prohibitionem seponi, non possint tamen, actus illi fieri liciti homini, Ergo similiter, non potest per aliquam Interpretationem fieri, ut liceant, quæ præcepto naturali, ut tali, prohibentur, quia omnia illa ut sic, sunt ab intrinseco mala, secundo, quia ἐπιεικείᾳ, est quædam veluti correctio LEGIS, ut, quod minus considerate verba LEGIS, sive LEX, prout lata est, complectuntur, declaretur, non esse sub LEGE comprehendendum, atque LEX naturalis, secundum quod à Naturali Lumine præcise dictatur, non admittit aliquam ejusmodi Emendationem. cum ipsa posita sit in Ratione certa, quæ à vero practico, non potest esse deficiens in aliquo: nam hoc ipso, non esset Ratio recta, & eodem modo non potest deficere Justum, sive correspondens, quatenus ab ea dictatur & præscribitur.

CAPUT VIII.

An possit Lex Naturæ à corde Hominis aboleri?

REspondeo, quod non possit LEX Naturæ, quo ad Præcepta communissima deleri universaliter. Ita S. Thomas hic q. 94. art. 6. Eatenus tamen, in particulari operabili, deleri potest. quod per passionem, aliquando impediatur Ratio, quo minus particulari operi applicet universalia Principia. Pars prior per se evidens est, quia nemo potest negare, aut sibi aliud persuadere, quam quod Peccata sint fugienda, & quod ea, quæ secundum Rationem sunt honesta, sint amplectenda.

Pars posterior declaratur: quia illis non obstantibus, potest fieri, quod quis sciat, etiam in particulari, hanc actionem esse inhonestam, & peccatum, & tamen non velit actu considerare, ejus turpitudinem, nec ei applicare prima illa Principia, secundum quæ judicaret, eam esse vitandam. id que ut liberius eam possit exercere.

Quantum vero attinet ad Præcepta magis Particularia, & propria, potest LEX Naturalis deleri de cordibus Hominum, vel propter malas persuasiones contrarias, vel etiam pro-

propter pravas consuetudines, aut mores corruptos.

Patet: quia apud diversas Nationes fuerunt specialia vitia, contra particulares LEGES Naturæ, tanquam licita approbata, ut apud aliquas Furta, apud Alias Latrocinia, alibi Enecationes Parentum, quando senio conficiebantur, apud Plures cultus multorum Deorum.

CAPUT IX.

De Jure, seu LEGE Gentium.

Quid sit? Quomodo à Iure Naturali & Civili distinguatur? Quotuplex sit? Quid statuat & an mutari & in eo dispensari possit?

IUS GENTIUM, prout distinguitur à Naturali, *est, quod usu ac moribus omnium, aut fere omnium Gentium, introductum est, non autem instinctu solius Naturæ.* § Jus Gentium Instit: de JURE Naturali Gentium & Civili. Atque hinc, distinguitur à Jure Naturali, quod ejus obligatio, oriatur ex voluntate Hominum, ac sit mutabile ex parte sua, & non semper omnibus, sed regulariter, & fere semper omnibus, sit commune, Can: Jus Gentium: dist. 1. At Jus Naturale, est unum & idem, apud omnes, cum ipsius obligatio, ex Natura Rationali, &

Natu-

Naturali conditione operum oriatur.

Dividitur Ius Gentium in Primævum & Antiquum libro 1. de acq. rer. Dom: quod licet etiam, sit Jus Naturale, Dicitur tamen Gentium, eo quod hæ, illo communiter utantur, ac dicitur etiam Jus Naturale, secundarium, ad distinctionem prioris Juris Naturalis, quod etiam cum Hominibus, Brutis est commune,

Ex hoc Jure Gentium primævo, descendit Religio erga Deum, Amor erga Parentes Præcepta Decalogi. Eodem Jure, omnia Hominibus erant communia, nec verbum meum, & tuum, audiebatur, nec erat Servitus sed omnes Liberi nascebantur. cap. Jus. Nat. dist. 1.

Ius vero Gentium secundarium, quod & Humanum, *illud dicitur, quod non ab initio cum hominibus natum sit, sed postea usu exigente, & humanis necessitatibus, Gentes humana id sibi constituerint, & moribus usurpaverint.*

Et hoc est Jus Gentium propriè dictum, quo distributæ sunt Possessiones, Introducta, Meum, ac Tuum. Bella incepta, discretæ gentes. Regna condita. Dominca distincta lib. 1. de Just. & Jure. Captivitates, Servitutes Sedium occupatio, Ædificatio, Munitio. Item

omnes fere contractus introducti, uti & Fœdera, Paces, Induciæ, Legatorum admittendorum, & non violandorum Religio. Connubia inter Alienigenas prohibita. &c Ita S. Isidorus in Can. Jus Gentium dist. 1. Valensis in Præmio Parat. § 4.

Differunt vero Jura Gentium, à Præceptis Juris civilis, quia illa, non scripto, sed moribus, non unius vel alterius Civitatis, vel Provinciæ, sed omnium, vel fere omnium Nationum constant.

Præterea, Jura Civilia, dicuntur esse mutabilia, in totum, Jura autem Gentium, non in toto, sed in parte, quod intellige secundum moralem Potestatem, & usum hominum, non autem, de tota collectione præceptorum utriusque juris, sic enim neutrum est moraliter mutabile, in totum, quia neutrum, potest ab humano genere absolutè tolli Ita Suaretz lib. 2: de Legibus cap. 20 & 29. & Felinus in cap. quæ Eccles. de constit: qui ibi cum Abbate in cap finali docet, quod Princeps in aliquo Capitulo possit dispensare contra Jus Gentium, sed non tollere totum, uti etiam, quod contra illud possit introduci consuetudo, quando non est inductiva peccati.

CA-

CAPUT X.

De LEGE Positiva Humana.

Quid sit? & an ea hominibus fuerit necessaria & an ea à LEGE Naturali derivetur & quæ qualitates ad eam requirantur?

Dicitur ea Lex Positiva, *quæ non est innata cum Natura vel gratia, sed ultra illam ab aliquo Principio extrinseco, habente Potestatem posita est* : Inde enim Positiva dicta quasi addita Naturali LEGI, non ex illa necessario manans. Conan. lib. 1. Comment: Juris Civil. cap. 8.

Dicitur illa LEX Humana, non quia hominibus imposita sit, quia hoc est commune omni LEGI; sed ideo, quia proxime, ab hominibus inventa & posita sit, primordialiter enim omnis LEX humana, derivatur aliquo modo, à LEGE Divina & æterna, & quoad vim obligandi, manat à potestate à Deo data; nihilominus tamen LEX ipsa, quæ Humana dicitur, actus est hominis, & ita ab illo proximè fertur, & ideo dicit S. Augustinus tract. 6. in Joannem, Deum per Imperatores distribuisse Humano Generi Jura humana. Ita Suaretz lib. 1. de Leg cap. 3. num. 14. & 15. Vnde

D.

DICO primo utile fuisse ac necessarium ad Pacem hominum, & virtutes, quod LEGES ponerentur. Ita S. Thomas hic q. 95. art. 1. Quia licet, quidam sint proniores ad virtutum actus, ex bona dispositione Naturæ vel Consuetudinis, vel potius divino munere, quibus sufficiat disciplina quasi prima, quæ fit per monitiones, & exhortationes, tamen plures sunt protervi, & ad vitia proclives, qui verbis non moventur: sed his necessarium est, quod per vim & metum, à malis abarceantur, ut sic saltem sinant alios, quietè vivere, ac ipsi etiam, assuefactione abstinendi à malis, & pœnarum metu, sensim ad virtutem proficiant, ut qui prius peccare oderant, formidine pœnæ, paulatim progrediantur in melius, & incipiant odisse peccare virtutis amore, atque ut vis & metus, talibus injiciantur, oportet esse LEGES, ab hominibus positas: Ergo id necessarium fuit ad Pacem Reipubl. ac similiter etiam conducens, ad profectum in virtutibus. Et licet LEX Naturæ, & Divina, ad hoc per se sufficerent, nihilominus tamen, ex alio capite, LEGES humanæ fuerunt necessariæ, quia opus fuit, ut, quæ in communi mandant LEX Naturæ & aliquando LEX Divina. Neque specificantur omnino, quo ad particulares modos,

ut

ut hæc determinentur per Humanas ordinationes, quo ad certa media, vel quo ad certas circumstantias, ut, quo ad tempus, locum, & alias particulares rationes, ne sine illis, nascatur magna in communitate confusio, dum unusquisque pro suo arbitrio, de illis vellet statuere, & secundum hoc, sese in illis habere & gerere.

Ut autem intelligatur, an omnis LEX humana à Naturali LEGE dependeat; sciendum, duos esse modos, quibus Humana LEX possit à Naturali intelligi derivari. Unus est, secundum quem, derivatur ex Principijs LEGIS Naturalis, tanquam conclusio, per firmam scilicet & necessariam Consequentiam. Alius est, secundum quem, dicatur derivari, tanquam quædam Determinatio eorum, quæ LEX Naturæ, indeterminata relinquit. Sic tamen, quod dictet ea, per Communitatem, aut eos, qui Communitatis curam gerunt, esse determinanda, non quidem uniformiter ubique, & pro semper, sed diversimodè, pro diversis temporibus ac locis, & pro diversitate aliarum circumstantiarum. His positis.

DICO. Omnem LEGEM Humanam, suo modo derivari à LEGE Naturali; sed quædam derivantur ex Principijs communibus, tanquam Conclusiones quædam, aut so-

solum, tanquam quædam Determinationes LEGIS Naturæ. Ita D. Thomas hic q. 95. art. 2. Et probatur: quia omnis LEX Humana, debet esse rationabilis, nec potest pugnare cum LEGE Naturali, alioquin non esset LEX, sed LEGIS corruptela: Ergo, debet aliquo modo, derivari ex Ratione, & LEGE Rationis, sive Naturæ.

Declaratur Exemplis: Quia v.g. LEGES Humanæ, quibus prohibentur Latrocinia, Adulteria, falsa Testimonia, & similia, derivantur tanquam Conclusiones, ex illo Generali & Notissimo Principio: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Item LEGES aliæ, quibus statuitur v.g. determinata Pœna, certis delictis. Item, quæ statuunt, determinata tempora & modos, quibus colendus sit Deus: non possunt quidem tanquam Conclusiones necessariæ, ex Principiis Juris Naturæ inferri, sed sunt Determinationes quædam, illius Juris. Dictat enim LEX Naturæ. Malefactores puniendos, sed Pœnam non specificat.

Similiter dictat, Deum esse colendum, at non præscribit determinatos dies, quibus colendus sit: sed horum Determinationem, relinquit Communitati, aut Iis, qui ejus curam gerunt, faciendam.

Est itaque Differentia, inter illos duos

Mo-

Modos, quod, quæ præcipiuntur Humana LEGE, priori modo, magis debeant censeri præcepta, Jure Naturæ, quam Constitutione Humana, quæ non præcipit vere illa, nisi quod adjungat determinatas Pœnas, contra Prævaricatores. Nisi fortassis, aliqua essent obscuriora, sic, quod à Plerisque non agnoscerentur dependere, & sequi ex Principiis Naturalibus: tunc enim, non tantum propter Pœnarum adjectionem, sed etiam ad instructionem, ut Homines agnoscant, se ad illa servanda obligatos esse, inculcantur eadem Humanis LEGIBUS.

Quæ autem præcipiuntur, LEGE Humana ut posteriori modo, sese ad LEGEM Naturæ habent, illa sunt propriè Præcepta per humanam LEGEM, ita, quod absque illâ non cadant specifice sub aliquam obligationem. Wiggers in 1.2 q. 95. art. 2.

Qualitates vero LEGIS Positivæ sunt, quod LEX erit honesta, justa, possibilis, secundum Naturam, secundum Consuetudinem Patriæ, Loco, Temporique convenies necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem, in captione contineat nullo privato commodo, sed pro communi utilitate Civium scripta. Quia ejusmodi qualitates requiruntur, partim, ut LEX servi-

Fini, ad quem ordinatur, partim vero, ut ipsa sit conformis superiori Regulæ, scilicet LEGI Naturæ & Divinæ, à quibus non potest Humana discrepare, quamvis possit ad earum determinationem & faciliorem implectionem, seu observationem quædam adjicere. Ita S. Isidorus libro 5. Etymol: Et S. Thom. hic q. 95. art. 3.

CAPUT XI.

De Divisione LEGUM Humanarum.

PRæter cæteras Divisiones harum LEGUM, quas adfert S. Isidorus libro 5. Etymol: cap. 6. præcipua est, qua dividitur in Jus Gentium & Civile. Per Jus Gentium vero non Primævum, quod est aliquo modo Naturale Homini, sed illud Secundarium, de quo supra dictum est, intelligitur, sine quo homines convivere ad invicem non possent, cum homo sit naturaliter Animal sociale. Ita S. Thomas q. 95. art. 4.

IUS CIVILE id dicitur, quod non communi omnium pene hominum consensu, & moribus introductum est. sed Principum ac Magistratuum Placiti, vel certe alicujus particularis Provinciæ, aut Regni, usu aut consuetudine quodque ita non proponitur ab ipsa naturali Ratione, tanquam omnibus & ubique con-

ve-

veniens & utile, sed His vel Illis, prout diver-
sæ concurrunt Circumstantiæ Personarum,
locorum, & temporum.

Hoc vero Jus Civile, hic non distinguitur
à Jure Ecclesiastico, prout hoc nomine di-
stingui solet, sed comprehendit illud sub se,
ac proinde potest subdividi, in Jus Civile,
quod dependet à Potestate sæculari, & ordi-
natur ad Politicam gubernationem, potissi-
mum in temporalibus, Et in JUS EC-
CLESIASTICUM, quod dependet à
Potestate Spirituali, & versatur circa Guber-
nationem, in ijs, quæ Religionis sunt. Ita
Wiggers in 1.2.q.95.art.4.

Altera DIVISIO JURIS HU-
MANI est in JUS SACERDOTA-
LE, REGIUM & MILITARE. Ita S.
Isidorus libro 2. Etymolog: Et hanc, dicit S.
Thomas, esse ex fine LEGUM Præceden-
tem vero ex Origine: quia cum finis LEGIS
sit commune bonum Reipubl: illudque ma-
xime pendeat ex his tribus hominum gene-
ribus, scilicet ex Sacerdotibus, qui pro popu-
lo orent, ac dona & sacrificia offerant. Ex Re-
gibus sive Magistratibus, qui populum diri-
gant & gubernent. Et ex Militibus, qui pro
conservatione & salute Communitatis pug-
nent, merito specialia quædam JURA pro-
prias

stis sunt constituta, cum quibus ipsi in suis munijs regulantur & diriguntur, cum quibus etiam ordinentur Favores & Præmia.

Ex reliquis autem, de Republ. non sic dependet ejus salus, quia non ita immediate circa commune bonum occupantur, sed magis unusquisque, circa suum privatum. Unde pro illis, non fuerunt particularia & diversa jura constituenda.

Tertia LEGIS Humanæ divisio sumitur secundum diversitatem eorum, qui rebus communibus & LEGIBUS ferendis præsunt. Ac sic dividitur in Constitutiones Principum, quando scilicet unus regit, qui supremam habet Potestatem in LEGIBUS condendis. Et hæc forma Regiminis vocatur Μοναρχεῖα. Secunda forma Regiminis, quæ consistit in Optimatibus Populi, dicitur Ἀριστοκρατεῖα, unde est Senatusconsultum, seu Prudentum Responsa. Tertia residet in paucis divitibus & potentibus, & dicitur Ὀλιγαρχεῖα id est, paucorum Principatus. Indeque est JUS Prætorium seu Honorarium. Vel residet in populo, juxta formam Regiminis, quod dicitur Δημοκρατεῖα, id est Populi Principatus, unde est Plebiscitum Ita S. Th. hic q 95, art. 4. Qui addit quartam divisionem qua dividitur LEX secundum Res & Actiones, de quibus tractat. Sic alia dicitur LEX

Julia de Adulteriis, alia Lex Cornelia de Sicarijs, & sic de alijs. Hodie vero valde varium est Jus Civile in Republica Christiana, cui viventes in Provincia se conformare debent. Hinc extat Jus Civile Atheniensium, Lacædemoniorum & Jus civile Romanorum, quod per Antonomasiam intelligitur, quoties fit mentio Juris Civilis, non addito, cujus sit populi, aut civitatis vocatur, que etiam Jus Quiritum. Can. Jus quiritum dist 1.

Olim vero, circa annum Domini 530. commune pro omnibus Provincijs, editum fuit ab Imperatore Justiniano, quod adhuc hodie, in Scholis docetur, quodque in hac doctrina frequenter usurpatur, præsertim cum de rebus Temporalibus Controversia oritur.

Quod habet tres partes principales. Prima dicitur Digestum, Græcè πανδέκτης continens 50. Libros, divisos in tria volumina nempe in Digestum vetus, Infortiatum, & Digestum novum.

Secunda dicitur Codex, continens novem Libros.

Tertia dicitur Volumen, & complectitur primo tres libros ultimos Codicis 10. 11. & 12. Deinde Authentica, seu novellas Constitu-

tio-

tiones. Tertio librum, seu usus Feudorum. 4to. Institutiones.

Citatur vero Digestum per Litteram D. aut ff. aut ϖ.

Codex per Litteram C. LEX per Litteram L.

Non vero omnes LEGES, quæ habentur in Jure Civili, obligant, quia multæ, abrogatæ sunt in varijs Provincijs, per contrarias LEGES, vel Consuetudines contrarias. Aliquæ etiam servari non possunt, absque Peccato, ne quidem etiam in foro externo, utpote quæ LEGI Dei aut LEGI Canonicæ illas reprobanti adversantur. Ita Felinus ad caput Ecclesia de constit. quem refert Reginaldus in praxi lib. 13. cap. 21 Cujus multa Exempla adfert Sylvester verbo LEX q. 10. Et tractat de hoc Azorius in prima parte Moralium Instit. lib. 5. cap. 20. & 21.

CAPUT XII.

De JURE Canonico.

Quid sit IVS Canonicum. Quando inceperit Quæ sit ejus Dignitas, Quando LEGES Civiles ei cedant. Quibus partibus constet, & quando obliget, vel non obliget?

IUS CANONICUM vocatur illud

Jus Positivum, quod à summis Pontificibus constitutum, vel approbatum est. Cap. Nō decet, de Consanguinit. & Affinit. & Abbas ibidem. Appellatur autem Jus Canonicum, à Græca voce Κάνον, quæ Latine Regula dicitur, & per Antonomasiam, Regula Ecclesiastica, eo, quod sit collectum ex Canonibus, id est, Regulis Ecclesiasticis, ad rectè vivendum, & æternam salutem consequendam institutis. cap. 1. x de constit.

Vocatur etiam Ecclesiasticum ac Divinum quia Canones Ecclesiastici, tanquam Conclusiones, vel Determinationes quædam, ex Lege Divina, uti è suis fontibus ac Principijs profluunt, ac eliciuntur. cap. Qualiter Et cap. Quando. x. de Constit.

Incepit vero Jus Canonicum ab Exordio nascentis Ecclesiæ, prout Canones Apostolorum testantur, postea vero, pro exigentia Negotiorum & Status Ecclesiastici accrevit, præsertim à tempore Constantini Magni, ut patet ex cap. Canones dist 15.

Illud vero observandum: Quod si Jus Canonicum contradicat Civili, servandum sit Canonicum, si materia concernat peccatum, vel Animam Alias utrumque in suo foro.

Si vero sit casus decisus à Jure Civili, & dubius de Jure Canonico, servandum est Jus Civi-

Civile in utroque foro. Sicut è contra, si casus decisus sit in Jure Canonico, & dubius de Jure Civili. Ita Abbas in cap. de novi operib nuntiati & Bartolus in lib. Privilegia & l. omni novatione.

Hinc LEGES Civiles, quando non obviant Canonibus, censentur tacite probatæ, & confirmatæ per Canones, reprobatæ vero quando obviant. Ita Archidiaconus in Canon: de Libellis dist 20.

In Causis vero Miserabilium personarum servandum est Jus Canonicum, in utroque Foro, quando Canones contrariantur LEGIBUS Et, si Jus Civile foveat lucrum odiosum, & sapiat rigorem, non servabitur in foro Canonico, etiamsi per Canones non sit reprobatum. Si vero statuat æquitatem, Jus autem Canonicum rigorem, servandum erit Jus Civile in utroque foro, Ita Felinus in cap in causis de Testibus & Attestat. Et Maranta par. 3. spec. num, 75 & 76.

Unde patet, quanto hoc Jus Canonicum sit augustius & sublimius Jure Civili, tum ratione causæ efficientis, tum ratione universalitatis, tum ratione Finis, quem spectat, quia hoc à Potestate mere Spirituali, à Christo, Petro ejusque Successoribus communicata promanat, & omnes omnino, Fideles, etiam

Reges & Imperatores astringit, Finemque mere Spiritualem, æternam nempe Beatitudinem, principaliter, & ultimatè intendit.

Jus vero Civile, à potestate prorsus Sæculari & terrena dimanat, Et est unius tantum Civitatis, aut Populi, ac finem merè temporalem & terrenum respicit, nempe vitam Civium talem, quæ Naturali Rationi sit consona. Ita Baptista in Rubr. Decr. Gratiani.

Distinctum est hodie Jus Canonicum prout in Scholis docetur, quinque partibus. Prima est Decretum Gratiani, ex varijs Summorum Pontificum, ac Conciliorum Sanctionibus, ac SS. Patrum Sententijs concinnatum, sedente Papa Eugenio Tertio, qui traditur illud publicis Gymnasijs concessisse legendum, aliquotque ab hinc annis, jussu Gregorij Decimi Tertij emendatum est, ut habet Epistola operi præfixa.

Decretum hoc, quatenus à Gratiano, ut privato Homine, Monacho S. Felicis, Ordinis S. Benedicti, Bononiæ Anno 1150. privato studio est consarcinatum, auctoritatem LEGIS non quidem habet, quia tamen cum reliquo Juris corpore circumfertur, & in Scholis docetur, & à Gregorio 13. reliquis partibus Juris id annumeratur, fidem facit, ut nota Abbas in cap. 2. x. de Rescriptis, cujus tamen ma

major vel minor est Authoritas, ratione Authorum, è quibus illa decreta desumuntur. Quo ad Paleas, verius videtur, eas esse, quasdam Additiones, ad primam collectionem Gratiani, sive ab ipsomet, vel alio factas, quæ tamen non contemnendæ, cum multæ ex illis, & in Decretalibus habeantur.

Secundam partem Juris Canonici, constituunt quinque libri Decretales, quas Gregorius Nonus opera Raymundi Pœnitentiarij sui compilavit. Anno 1230: Decretales autem propriè dicuntur Summorum Pontificum Responsa, ad aliquorum Consultationes vel Interrogationes. Decretales citari solent sub nomine Extra, & hoc signo ·X·

Tertiam partem constituit Liber Sextus, quem Bonifacius Octavus edidit, circa Annum 1294. ac partim suas, partim Gregorij X. Innocentij IV. Clementis IV. & Aliorum, uti etiam ipsius Gregorij IX novellas Constitutiones ac Decretales continet, uti & 2. Generalium Conciliorum Lugdunensium Decreta, totidem Libris, quot ipse Gregorius IX. ijsdem Titulis, licet non omnibus, Compilationi Gregorianæ, seu quinq; Libris Decretalium Gregorij IX. seorsim adjecit, qui citari solet in 6.

Quartam partem constituunt Constitu-

tiones Clementinæ à Clemente V. editæ Anno 1310. potissimum in Concilio Viennensi promulgatæ vero ab ipsius Successore, Joanne XXII. Et citantur in Clementinis.

Quintam partem constituunt Extravagantes, ideo dictæ, quod antea extra Corpus Juris Canonici, incerta quasi sede vagarentur. Harum primæ continent Constitutiones viginti, juxta Decretalium Ordinem, & vocantur Extravagantes Joannis XXII. Aliæ vero dicuntur Extravagantes communes, quia multis Pontificibus sunt communes, nec uni soli debentur.

His postremo accessit septimus Decretalium à Jurisconsulto Lugdunensi celeberrimo D. Petro Matthæi Collectarum. Ita Valensis in proëmio paratitl.

Quamvis vero, etiam in Foro Ecclesiastico, Leges & Principum Constitutiones recipiantur: Can, Summopere 11. q. 3. sic tamen hoc intelligendum, dummodo Sacræ Scripturæ, vel Sacris Canonibus, vel bonis moribus non adversentur. cap. 2. q. 9. dist, 10. Nec expresse statuant de rebus, aut Personis Ecclesiasticis, sed simpliciter loquantur, nisi forte Ecclesiæ favorem contineant, nam de illis Potestas Sæcularis nil validè potest statuere. Cap. quæ in Eccles. X. de Constit: sed in il-

illis subest Ecclesiasticis. cap. certum dist. 10. Nam Potestatem Sæcularem manet obsequendi necessitas, non imperandi auctoritas Can: Bene quidem dist. 96. Idque ex Institutione divina. cap. LEGE. dist. 10.

Hinc patet, Justiniani Constitutiones, in Codice & Novellis, de Rebus & Personis Ecclesiasticis, nominatim disponentes, licet de facto olim obtinuerint, de JURE tamen Canonico, nullius fuisse momenti. Ita Valensis in Proëmio Paratit.

Quo ad omnes vero LEGES, tam Canonicas, quam Civiles, sciendum, nullas earum obligare, si non fuerint receptæ, quamvis primo non recipientes peccaverint. L. de quibus ff. De LEGIBUS. Et est communis Sententia Doctorum. Nam LEX censetur lata sub conditione, si recipiatur, etiamsi etiam illa LEX deroget consuetudini, & non sit recepta per ignorantiam.

Tunc vero dicitur LEX non recepta, quando aliqui contractus seu actus, contra eam fiunt, seu à principio per majorem partem non servatur, Principe sciente, & tolerante. Et etiam, quando, eo ignorante, per decennium negligitur, & non admittitur. Ita Calderinus, Cardinalis, Felucius, Jason, Navarrus, Parisius &c. Immo non requiritur

tempus decennij, sed sufficiunt actus contrarij, etiam Principe ignorante. Ita Felucius, Navarrus, Rodriges & alij.

Hinc, si v.g. Concil. Trident. fuerit receptum, in aliquo Concilio Provinciali, postmodum vero non observetur, dicitur, quod talis receptio fuerit in genere, & verbalis, cui non receptio, in specie deroget, quia volūtas magis factis, quam verbis declaratur. Ita Garcia de Beneficijs par. 11 cap. 5. quia receptio, vel non receptio majoris partis Populi, seu Communitatis, facto ipso & praxi videtur attendenda. Idem Garcia par. 11. cap. 159.

CAPUT XIII.

De Praxi Judiciaria.

Proœmium.

POstquam Papa Gregorius, sub finem Libri primi Decretalium, quædam præambula, seu præparatoria Judiciorum præmisisset, nec non quædam, quibus Controversiæ ante Litis ingressum componuntur, ut sunt. PACTA, TRANSACTIONES, PROCURATIONES, POSTULATIONES, RESTITUTIONES in integrum & Arbitraria. In secundo DECRETALIUM Libro universam Judiciarij Ordinis rationem ac

mo-

modum tradit & explicat, incipiendo à Judicio, cujus requisita primis octo Titulis docet. Nam ut ait Abbas in cap. Clerici 2. Decret: Judex ex officio providere debet, ut debitæ solemnitates serventur in Judicijs; quibus omissis Judicium reddatur frustratorium Hinc breviter juxta NUCLEI hujus exigentiam, PRAXIM JUDICIARIAM attingo, ab ipsis Judicijs sumpto Exordio; Brevitatis tamen causa citationes omitto, quas apud Marantam, Gaillium, Valensem, & alios invenies, ex quibus hæc Principia desumpsi, & fideliter tradidi. Caputque hoc, ob Materiæ copiam, & diversitatem, ad vitandam confusionem, in Paragraphos distinxi.

CAPUT XIII.

§. I.

De *Divisione Iudiciorum.*

OMissis varijs Iudiciorum in Iure significationibus, in præsenti *Iudicium sumitur pro causæ discussione, quæ coram Iudice pro tribunali sedente fit.* Et dicitur quasi Iurisdictio, quod in eo Ius dicatur: Et Iudex quasi Ius dicens Populo, sive quod Iure disceptet.

Ad Iudicium hoc modo sumptum, qua-

tuor potissimum requiruntur: Iudex, Actor, Reus, & Causa, tanquam origo negotij & materia Iudicij; adeoque in Iudicio inquisitionis vel alio simili, hæc quatuor, verè vel fictè saltem interveniunt; quia fama præcedens repræsentat Actorem.

Iudiciorum variæ sunt Divisiones, desumptæ à Iudice ipso, Materiâ, Formâ & Fine. Ex Persona Iudicantium, aliud est *Ecclesiasticum quod coram Iudice Ecclesiastico agitatur, de rebus Ecclesiasticis, maxime spiritualibus, ut Matrimonio, Beneficiis, & his annexo Iure Patronatus, de crimine hæresis, Simoniæ, & aliis similibus: Aliud sæculare, quod coram Iudice Laico inter personas sæculares exercetur.*

Rursus à materia, seu fine, circa quem versatur, aliud est Civile, aliud Criminale, aliud Mixtum, *Civile est, in quo principaliter agitur ad commodum privatum, etiamsi ex delicto agatur*: nisi fortè agatur civiliter, ex crimine infamante, nam tunc dicitur causa criminalis.

Criminale est, in quo de crimine principaliter agitur ad commodum publicum, seu vindictam publicam, ex delicto tamen, ut si in Ecclesiastico foro agatur ad degradationem, ad officij, dignitatis, vel Beneficij privationem, aut ad perpetuos carceres, tanquam ad pœnam. In sæculari vero ad Pœnam capitalem,

vel

vel membri mutilationem, aut etiam ad pœnam pecuniariā, Fisco, non Parti applicandā.

Hinc subdividi potest Judicium Criminale, in Capitale, & non Capitale. *Capitale est, in quo agitur de crimine Capitali; seu in quo venit irroganda pœna Capitalis*: veluti, dum damnatur quis ad mortem naturalem, quia perditur caput naturale: vel dum quis redigitur in servitutem, aut damnatur in metallū, quia amittitur Caput Civile, quod est libertas: vel dum deportatur, quia tunc caput eximitur de Civitate. *Non Capitale, in quo non venit imponenda aliqua ex tribus prædictis pœnis.*

Mixtum Iudicium est, in quo & Civiliter, & Criminaliter agitur: ut, dum de crimine aliquo, V. G. Furto, vel injuria agitur ad interesse partis, & simul ad vindictam publicam.

Ex modo etiam procedendi. Judicium dividitur, & aliud dicitur. *Summarium seu Extraordinarium, in quo proceditur simpliciter, & de plano, sine strepitu, & forma Iudicii*, uti in causis Electionis, Postulationis, & similibus. Quibus adde causam hæresis, & læsæ Majestatis, in quibus etiam ordo solennis Judicii non servatur. Talia quoque sunt Iudicia Possessoria.

Sic tamen, in Summario Iudicio, remittuntur solemnitates Iudicii, ut Probationes necessariæ, & Defensiones legitimæ, Citatio, Præstatio Iuramenti de calumnia, vel malitia, sive de veritate dicenda, non excludantur, & sententia definitiva in scriptis feratur à Iudice, sive sedente, sive stante, quamvis in levioribus, & parui momenti causis, & ubi non fit præjudicium veritati, vel causæ principali, sufficiat, rem semiplenè, & summarie probari.

Aliud vero dicitur *Plenarium, seu Ordinarium, in quo solenniter, & recto Iudicii Ordine servato, cognoscitur de causa*, pura, cum Reo citato Libellus, seu Actoris intentio scripto, editur, & Litis fit contestatio, cum præstatur Juramentum calumniæ, probatione res docetur & excutitur, sententia in scriptis fertur à Judice sedente, & postremo Executioni mandatur: nisi ea per appellationem, vel restitutionem in integrum, vel supplicationem suspendatur, aut rescindatur, vel nulla declaretur.

Aliter Judicium Extraordinarium dicitur illud, quod coram delegato Judice instituitur. Ordinarium vero illud, quod coram Judice Ordinario instituitur.

Rursus Iudicium aliud est Petitorium, aliud

Poss-

Possessorium. Petitorium est, in quo de Proprietate, vel alio Iure agitur, extra Possessionem, vel quasi Possessionem: Ut si res vindicetur, Hæreditas petatur, actio Empti, Depositi, Commodati, vel alia similis intentetur. *Possessorium est, in quo de Possessione, vel quasi Possessione contenditur, sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda.* Possessio proprie est rerum corporalium. Quasi Possessio est incorporalium. Cujusmodi sunt servitutes, & alia similia Jura.

§ II.

De Foro Competenti.

JURISDICTIO, seu Fori competentia totius Judicii contentiosi, est fundamentum ita, ut, eâ deficiente, nequidem sit Judicium, & nullitas ex ejus defectu provenicns, irreparabilis, at insanabilis reputari consueverit. Ideoque summopere præcavendum est, inprimis, Actori, ne coram Judice incompetente Reum conveniat.

Forus, seu Forum dicitur, tum locus ipse exercendarum litium, seu ubi quis conveniri potest, tum Territorium, in quo quisque Judex habet Jurisdictionem: quo pacto tota Diœcesis dicitur Territorium Episcopi. Aliter dicitur Tribunal, & sedes Jurisdictionis, quæ in eo exercetur, vel Auditorium.

Forum

Forum igitur competens hic vocatur Tribunal, cujus Iurisdictioni Reus subjicitur, nam regulariter Actor sequi debet Forum Rei. similiter *Iudex competens dicitur Is, cuius Iurisdictioni Reus subiicitur, seu coram quo actio & lis proponi, atque instituti, & decidi potest*, vocatur Judex suus.

Sortitur vero Forum quis variis modis. Primo ratione Domicilii : nam quis subest Jurisdictioni Judicis, in cujus territorio, tempore actionis instituendæ, domicilium habet. Censetur autem quis domicilium habere, ubi larem rerum fortunarumque suarum summam constituit, sic, ut inde non sit discessurus, modo nihil avocet, vel saltem, ubi majorem partem bonorum suorum possidet, aut habitandi animo, frequentius versatur.

Secundo sortitur quis Forum, ratione rei sitæ, & ideo actione in rem conventus, coram eo Judice respondere cogitur, in cujus territorio res sita est. Nec refert, an res sit immobilis, an mobilis, dummodo in loco, in quo sita est, sit permansura, nec custodiæ tantum causâ, ibi constituta. Alias, si actione in Personam, sive rei immobilis, sive mobilis nomine agatur, Rei domicilium sequendum erit, nisi cum bonis in loco sitis concurrat locus contractus.

Ter-

Tertio ratione contractus, nam contrahentes ejus Judicis Forum sortiuntur, in cujus Territorio contraxerunt. Nisi contractus implementum, & solutio in alium locum destinata sit; quia tunc non in contractus celebrati, sed in destinatæ solutionis loco, Forum sortiuntur.

Cæterum contractus, sumitur hic pro omni pacto, sive utrimque sive ex altera tantum parte obligatorio, sivè pro alio quolibet pacto; ex quo obligatio oritur, ita, ut etiam hoc nomine. Veniat Administratio tutelæ, curæ, transactio, donatio, & alia similia.

Quarto ratione delicti, nam ejus Judicis Forum sortitur quis, in cujus Territorio deliquit. Et ideo Judex apprehendens Reum, etiam militem in loco delicti, potest eum pœna tam temporali quam pecuniaria, pro qualitate delicti punire. Cessat enim Privilegium Fori ratione delicti. Quod si vero Delinquens citatione præventus, fines loci, in quo deliquit, exiverit, etiam absens, modo legitimâ cognitione præcedente convincatur, condemnari poterit.

Quinto ratione Privilegii. Sic Clericus non potest conveniri, nisi coram Judice Ecclesiastico, sive criminaliter, sive civiliter agatur. Adeo, ut Laicus, qui Clericum per se per-

perstrinxerit, aut condemnaverit, sit eo[rum] mine excommunicatus.

Sexto ratione Adsumptionis in aliqu[em] Collegium, vel universitatem, quis subji[citur] tur cognitioni Præfecti ipsius Collegii [vel] universitatis, dummodo hæc corpora auct[oritate] ritate Principis coierint.

Septimo ratione consensus, ut si quis Judicem alias non suum consenserit, na[m] cuique liberum est, suo foro renuntiare, & alium Judicem consentire. Excepto tam[en] Clerico, qui Privilegio suo Fori ne quidem jurato renuntiare, & in Judicem Laicum consentire potest, quia hoc Privilegium non est datum in favorem Clerici, qui convenitur, sed in favorem totius Ordinis Clericalis, & est publicum. Pactis autem Privatorum iis, quæ sunt Juris publici, derogari non quit.

Sunt tamen casus quidam, quibus Clericus coram Judice Laico conveniri potest, & è contra Laicus coram Ecclesiastico. Atque inprimis clericus coram Laico, si sit vasallus Laici, & de Feudo controversia oriatur, coram Domino Feudi, vel paribus curiæ conveniri debet. Idque ratione directi Dominii quod penes ipsum Dominum est.

Secundo, si prima tantum Tonsura sit in[ju]ri-

riatus, aut in Minoribus constitutus, aut conjugatus, secundum tamen dispositionem, & formam Conc. Trident. sess. 23. cap. 6. vel si Bigamus sit. Aut joculatoriam artem per annum exercuerit, vel qui in assassinatus crimine deprehensus est.

E contra Laicus secundum Canones subjicitur Judici Ecclesiastico, si possideat, & detineat res Ecclesiæ, vel Clerici. Si rapuerit vel invaserit res Ecclesiæ. Si Jus aliquod Ecclesiasticum usurpet. Si Judex Laicus desit officio suo in administranda Justitia, potest & Laicus trahi ad Iudicem Ecclesiasticum. Denique miserabilis Persona, veluti Vidua, Pupillus, vi de Possessione dejecta, potest coram Ecclesiastico, ad possessionem recuperandam agere.

Ubi autem dubium est, an vocatus sit de foro, seu Jurisdictione vocantis, tenetur comparere, & incompetentiam Judicis allegare, & tum Judex ipse æstimabit, an sit suæ Jurisdictionis, an alienæ.

§. III.

De Prorogatione Iudicis.

UT prorogatio Jurisdictionis Judicis subsistat, necessum est, ut is habeat Jurisdictionem sufficientem ad cognitionem, & decisionem causæ, quæ inter Litigantes vertitur,

tur, ut si causa sit spiritualis, Jurisdictio habeat Spiritualem; si criminalis, ut non solum possit de causâ civili cognoscere sed etiam de causa criminali criminaliter intentata, habeatque potestatem crimina coercendi.

Secundo debet ea Jurisdictio, quæ prorogatur, esse ordinaria, non delegata; nam cui delegata non sit ipsius Delegati, sed Delegantis propria, non potest ultra Personas instrumento Delegationis expressas de ipsarum consensu prorogari, nisi intercedat Delegantis Consensus, quamvis mandata alicui Jurisdictio ad certum diem, vel tempus possit de communi partium consensu prorogari.

Tertio debet utriusque & renuncianti scilicet suo Foro, & Adversarii intervenire consensus. Sufficit tamen consensus tacitus & eorum, qui de Jurisdictione incompetentis Judicis proroganda convenerunt, potest alter, altero invito, ab ea conventione, re adhuc integrâ, recedere. Censetur vero hic res integra, si citatio nondum sit emissa. Non est autem necessarium ad prorogationem Jurisdictionis Judicis, ut ipsius Judicis consensus interveniat.

§. IV. D

§. IV.

De Citatione.

SUppoſita Juriſdictione, & competentia Judicis, principium inſtituendi Judicii eſt Citatio, ſeu in Jus vocatio, quæ adeo eſt neceſſaria, quo ad abſentem, ut nullatenus omitti poſſit. Nam cum ea ad defenſionem ſpectet, Juris eſt Naturalis: immo ſecundum Aliquos, Juris Divini inducta, quando Deus citavit Adamum, poſt Peccatum commiſſum, dicens: Adam ubi es? Et ideo, eâ omiſsâ, Judicium redditur nullum.

Eſt autem Citatio actus legitimus, quo quis mandato Iudicis, Iuris experiundi causâ in Iudicium vocatur. Et vel Realis eſt, vel verbalis: Illa per manus injectionem, & apprehenſionem Perſonæ citandæ; hæc aut privatim per Apparitorem, vel litteras, aut publicè per Præconem, Tubam, Campanam, aut Edictis propoſitis fieri ſolet.

Edictali Citationi tunc locus eſt, quando alias quis citari nequit: ut ſi locus non ſit tutus, ſi non proprii ſit territorii, ſi remotus, aut varius, vel neſciatur, ubi citandus moratur, vel ſi ipſe citandus ſit vagabundus, aut impediat, ne ad ſe Citatio verbalis, vel per litteras pervenire poſſit, vel ſi agatur de materia diffamationis, ſi ſola ſufficiat ſcientia,

quæ

quæ per edictum induci potest, aut proce
tur non servato Juris ordine. Et sic de Al
similibus,

Rursus Citatio est vel Simplex, vel P
emptoriâ. *Simplex est, qua Citatum non a
contumacem constituit, quam si Tertio & ju
intervallo, non minus scilicet decem dierum
Civilibus facta sit.*

*Peremptoria est, qua simplices Citationes
perimit, ut in Ius vocatum, si præfinita die
comparuerit, contumacem constituat.* Hoc
singulis Citationum Edictis necessarium e
intervallum triginta dierum, constat
Auth. Qui semel, cod. Quomodo & quan
Judex. Sic tamen, ut Judex pro qualita
Personæ, Temporis, Loci, aliisque simili
circumstantiis, & Edictorum numerum,
eorundem intervalla, necessitate postulan
augere & diminuere possit. Unde & p
Peremptorium Edictum, absens ex benig
tate Iudicis citari potest.

Ut autem Citatio sit legitima, plura req
runtur. Primo, ut fiat ad instantiam Part
dum agitur inter duos Litigantes: maxi
Citatio ad sententiam, nisi Judex videret p
rire instantiam, quia tum ex officio posset
tare.

Secundo, ut fiat mandato Judicis com

tentis, sive ordinarii, sive Delegati, alias Citatum non arctat, licet sit Realis, quia & hæc requirit causæ cognitionem, quam Nuntius non habet. Et ideo regulariter Citatio fit per Apparitorem, speciale Mandatum, aut commissionem Judicis habentem. Nisi forte Delinquens in flagranti crimine capiatur, nam tum LEX ipsa Licentiam concedit. Aut nisi ob tenuitatem negotii & causæ, aut alium Fori usum, generale mandatum, ad quasdam citationes faciendas, semel datum sufficiat. Obtinetque in plerisque Curiis, in quibus, ex Fori usu, non requiritur Mandatū, seu commissio Judicis, sed ad simplicem petitionem partis, fierí solet Citatio; quando scilicet citatio fit in Foro Citantis.

Tertio: continere debet, nomen & cognomen Iudicis, ut citatus cognoscat, an Judicis competentis jussu Citatio sit decreta: nam supra Jurisdictionem, vel extra territorium citanti, impunè non paretur. Nisi sit Judex Domicilii, qui Subditum suum, ubique existentem, citare potest: quia, quocunque se transferat, semper manet Subditus. Quod si dubitet Reus, an jussu Judicis competentis citetur, comparere debet, & incompetentiā allegare, nisi notorium sit, Judicem non habere Jurisdictionem, Et de hac competentia,

Iudex

Judex ipse citans cognoscere potest, an sc
cet sit suæ Jurisdictionis, an alienæ.

Quarto: continere debet, nomen &c
nomen ejus, qui citatur & similiter ejus,
cujus instantiam citatur, ut intelligat Ci
tus, citationem non ex officio Judicis, sed
petitionem & instantiam Citantis esse
ctam.

Præterea causam saltem in genere, etia
in criminalibus præsertim dum ex loco
moto Citatur, ut instruatur Reus super qu
convenitur, & paratus ad respondendum a
cedat.

Insuper locum Iudicii, ut Citatus sciat,
Iudex non excedat fines suæ Iurisdictionis
citando extra territorium suum; & an locus
ad quem citatur, sit tutus & commodus: nam
Citatus ad locum non tutum, vel incommo
dum non tenetur comparere: Et Iudex no
admittens exceptionem loci non tuti, infer
Citato gravamen, à quo licite appellatur.

Præterea continere debet diem certum,
ac justum, & opportunum, quo Citatus com
pareat, & commodè ad locum Iudicii venire
possit, ut sciat Reus, an dies sit Iuridica: nam
diebus feriatis, veluti die festo, aut vinde
miarum, vel messium, nemo ad Iudicium ve
nire compellendus est, nisi quis citatus esset
die

die feriata, ad utilitatem Hominum, ex commissione Principis, qui potest talibus feriis derogare, exceptis causis alimentorum, Carceratorum, Pupillorum, Viduarũ, Miserabilium Personarum, & iis, quæ moram non patiuntur, veluti si tempore res peritura sit, vel alia urgeat necessitas, & similibus, quæ possunt expediri diebus feriatis, & in citatione sunt exprimenda, ut Citatus teneatur comparere. Non tamen est necesse, ut contineat horam comparendi, sed debet Citatus comparere hora causarum solita, & tali hora, in qua possit actus expediri ante noctis tenebras: & si apponeretur certa hora, & actus non fieret, horâ assignatâ, sed aliâ, non valeret. Si vero nimis brevis dies apponatur, Citatio non erit valida, & appellari poterit.

Commissione Citationis, Nuntio facta, debet is eam exequi: & quidem primo diligenter Reum citandum perquirere, ut ei coram citationem insinuet in faciem. Eo autem non invento, in subsidium potest denuntiationem Procuratori illius, si quem reliquerit. Vel ad domum Domesticis, aut, si nemo adsit, vicinis ejus exponere, relicto ibidem suæ commissionis exemplo, ut ad Reum citatio perveniat.

Executione facta, incumbit Nuntio, facere

ejus relationem, quæ in acta referri debet,
de legitimè factâ executione appareat. Re
tioni autem Executoris creditur, propter
dem ejus electam, & Iuramenti Religione
qua Iudici est astrictus. Quamquam asser
ti, se ex Mandato Iudicis citasse, non cre
tur, quia ei solum de suo facto, quale est E
cutio, non etiam de facto alieno, cujusmo
est commissio Iudicis, creditur.

Quod ad effectum Citationis attinet,
legitimè facta in primis constringit Citat
ad comparendum, nisi justâ exceptione
tueatur: veluti quod Magistratum ge
quod sit Parens, vel Patronus, quos, sinè
missu Prætoris, in Jus vocare non licet;
quod propter loci Religionem inde
movere non possit, quodve funus ducat
justa Defuncto persolvat, vel alia simili
sa. Alias autem, cessante legitima excep
ne, contumacia ejus varie punitur.

Secundo perpetuat Judicis Delegati J
risdictionem. Et ideo, si quis, postquam
tatus est, alterius Fori esse cœperit, in eâ c
sa Jus revocandi domum non habebit.

Tertio Præscriptionem triginta annor
interrumpit. Facit etiam Judicis Ordin
Jurisdictionem perpetuam, respectu ill
causæ, cujus intuitu Citatio semel legiti
fac

facta fuit, etiamsi citatus postmodum alienæ Jurisdictionis esse cœperit.

Quia vero effectus, & finis præcipuus Citationis est, ut Reus compareat: ideo Citatio illegitima, quæ tamen ad notitiam citati pervenit, per comparitionem ejus convalidatur, & Reus comparens ad libellum Actoris, respondere cogitur: quia præsens regulariter citari non debet, Et hinc fit, quod citatus ad certam causam comparens, secundum communiorem sententiam, debeat respondere in aliâ causâ.

§. V.

De *Libelli Oblatione.*

REo legitimè citato comparente, nec Judicis, ad quem vocatus est, Iurisdictionem declinante, Actor *Libellum* (*Qui non est aliud, quam brevis scriptura, claram Actoris, sive Accusatoris intentionem, seu rem, quæ petitur, causam petendi, & nomen Actoris ac Rei continens.*) Si Iudicium sit plenarium, exhibebit, seu edet Iudici, sive coram Ordinario, sive coram Delegato Iudice, sive coram Arbitro agatur, sive Civiliter, sive Criminaliter; & quidem scripto, licet olim secus fuerit, Ejusq; inspiciendi ac describendi copiam Iudex Reo faciet, ut inde Reus sciat, ob quam causam in Iudicium vocatus sit, & deliberare possit, u-

trum cedere, an contendere velit, super qu
exceptiones suas defensionesque formare
fundare debeat: adeo, ut Iudice Reo peten
hujusmodi copiam denegante, à tali deneg
tione rectè appelletur, ut etiam, si conte
dendum putet, veniat Reus ad agendum i
structus, cognitâ actione, qua convenitur;
Iudex, inspecto Libello, dispiciat, quo pac
concipienda sit à se sententia, quippe quæ de
beat esse Libello conformis. Et ideo qu
que Libellum oportet esse clarum, & certum
non alternativum, relictâ interim Actori po
testate petitionis suæ obscuræ denuo rep
tendæ, & recte instituendæ. Alias sentent
super Libello evidenter inepto, in causis Or
dinariis est nulla, etiam parte non oppone
te. Procedit tamen Libellus generalis & ob
scurus in causis summariis, parte non oppo
nente, secus in Ordinariis.

Sustinetur etiam Libellus Alternativus
Primo in Actione Hypothecaria: nam Pos
sessor potest retinere Rem, & Litis æstima
tionem offerre Creditori.

Secundo in Materia, ubi venditor conclu
dere debet, ut Emptor, aut, quod deest justi
Pretio, suppleat, aut Rem Emptam resti
tuat.

Tertio, quando petitur Restitutio adver
sus contractum. Quarto

Quarto, quando petitur restitui Res, si existat, aut ejus æstimatio, si consumpta sit. Similiter, quando incertitudo provenit, ex facto Adversarii.

Cum vero duplex sit Libellus, nempe Civilis, seu Conventionalis; In Conventionali exprimendum est, Quis, Quid, Coram Quo, Quo Iure petatur, & à Quo. In Criminali vero, Nomen Accusatoris, Rei Accusati, Iudicis, coram quo, delicti Locus, Annus, Mensis designari debet, quamvis, si dies, qui mensem demonstret, exprimatur, non alia mensis expressione sit opus.

In Conventionali necesse est, ut medium concludendi, seu causa petendi exprimatur, sive Proxima, sive Remota: In Reali factum, ex quo causatur Dominium, V.G. Quod Res sit legata, vendita & tradita. Et quidem in Actione Personali exprimenda est causa remota. In Reali vero, puta in rei vindicatione sufficit exprimere causam Proximam, V. G. peto rem, quæ mea est, ratione Dominii, vel quasi Dominii.

Potest etiam Actor plures actiones suo Libello simul cumulare, sive ex diversis causis ad diversa, contra eundem, vel diversum agat, sive etiam ex eâdem causâ, & ad idem contra diversos agat, modo nihil ob-

ſtet cumulationi, idque favore dirimend
rum Litium, iiſque ſigillatim à Reo reſpo
dendum eſt, & à Iudice totidem, ſecundu
cujuſque actionis naturam, ſigillatim prof
rendæ ſunt ſententiæ, in eodem Iudicio: qu
tot ſunt Libelli, quot Actiones & facta, p
teſtque Iudex, partim definitive, partim i
terlocutorie pronuntiare.

Libello vero Actoris, ſecundum ordine
Iuris exhibito, non ſtatim cogitur Reus re
pondere, ſed induciæ ei dandæ ſunt, ut de
beret, an contendendum ſit, an acceptand
an recuſandus ſit Iudex, & ut, ſi quas habe
exceptiones, proponat. Et quidem de Iu
communi dilatio viginti dierum concedit
Hanc tamen Dilationem ex communi obſe
vatione frequenter à Iudice coarctari vid
mus.

Dixi in initio, Libellum ab Actore eſſe e
hibendum Iudici, ſi plenarium ſit Iudicium
quia in ſummario Iudicio, & brevioribu
cauſis, etiam de Iure communi, non eſt n
ceſſe, Libellum ſcripto tradi: ſed ſufficit A
ctoris petitionem coram Iudice, nudis v
bis proponi, eamque Actis inſeri, ut, re poſ
exigente, ejus copia haberi poſſit. Dubio a
tem exiſtente, an aliqua cauſa ſit de brevi
ribu

ribus, arbitrabitur Iudex secundum qualitatem personarum.

Similiter aliud obtinet, si coram Arbitratore agatur, quia coram eo nulla solemnitas Judicii necessario servanda est. Et licet in Judicio ordinario Litigatores inter se pacisci possint, ne sibi invicem Libellum edere cogantur, ne tamen Iudici edatur in casibus, in quibus requiritur, nec Tacite, nec Expressè pacisci queunt: quia sententia conformis Libello à Iudice proferri debet, & quia Libellus est introductus favore publico, ut lites clarius procedant. Potest mutari Libellus, tam in Civilibus, quam in Criminalibus, usque ad Litem contestatam, quia nondum est cœptum Judicium: At vero post Litem contestatam Actor eam mutare non potest, nisi velit uti novo Libello, & nova instantia, recedendo à priori, cum refusione expensarum, ne quidem, si partium accedat consensus, quia per Litis contestationem obligatur quis instantiæ, ut ab ea recedere, & amplius pœnitere non valeat.

Emendare vero Libellum licet, usque ad sententiam. Hinc, si Actor de summâ petita aliquid diminuere velit, usque ad sententiam audiendus est, sicut &, si errore ductus, ab initio minus, quam sibi debebatur, petierit,

potest in eodem Iudicio, eâdemque instanti errorem suum corrigere.

§. VI.

De Mutuis Petitionibus.

PLerumque viso Actoris Libello, Reus vicissim ab Actore aliquid petit, eumque reconvenire solet, præsertim quando compensationi locus non est, ut si debitum ex utraque parte non sit liquidum, nec intra brevem terminum, arbitrio Iudicis statuendum, liquidari possit. Nam *Mutua Petitio idem est, quod Reconventio, qua scilicet Reus viso Libello Actoris, vicissim aliud ab eo petit coram eodem Iudice, & in eodem Iudicio etiamsi alias ille Iudex non sit Actoris competens.* Nec enim permittitur Reo, durante Iudicio Conventionis, Actorem, convenire coram alio Judice, nisi natura & genus, seu qualitas causæ eundem Judicem dedigne tur.

Non potest autem Actor, quo ad Reconventionem, Vbi ea locum habere potest, se etiam ullâ incompetentis Fori exceptione tueri, quo minus, coram eodem Iudice respondere cogatur, etiamsi Clericus sit, qui coram Iudice Laico Reum convenit, ex receptiori DD. Sententia, quia hoc casu non Clericus ipse prorogat Iurisdictionem Laici in se, sed

sed ipsa LEX prorogat, seu potius dat, & defert Laico Iurisdictionem in Clericum. Jura vero, quæ vetant hoc, intelligi possunt de causis mere spiritualibus, vel quo ad Conventionem.

Potest Reus, Actorem non solum coram Ordinario, sed etiam coram delegato Iudice convenire, nisi Judex delegatus datus sit, de consensu utriusque partis; tunc enim non est locus Reconventioni: quia eo casu cessat ratio; cum non solum ab Actore sit impetratus Judex, sed etiam à Reo. Ob eandem rationem non potest Reus Actorem reconvenire coram Arbitro compromissario, Qui etiam de iis potest tantum cognoscere, quæ expresso Litigatorum consensu, in compromissum deducta sunt.

Habet vero locum Reconventio, in omnibus causis, in quibus non reperitur expresse prohibita, nec repugnat causæ qualitas. Et proinde etiam in causis summariis. Et in quibus casibus habeat locum Reconventio de Iure communi, videre licet apud Menoch. De Arbitrariis cent. 2. casu 184. Mynf. Cent. 1. obser. 10.

Non habet vero locum. Primo in causis criminalibus, criminaliter intentatis, nisi Reus Reconveniendo Criminaliter, vel ma-

ius Crimen objiciat, vel prosequatur suam Suorumve injuriam. Civiliter vero de Crimine Conventus, potest Actorem reconvenire, de alio crimine Civiliter, coram Iudice competenti, id est, qui sit Iudex competens Reconventi.

Secundo non habet locum in Causis Executivis, sicut nec in Depositо, quia Instrumentum Depositi habet Executionem paratam; quod intellige de Reconventione, quæ celerem rei depositæ restitutionem impediat.

Tertio non habet locum in causa Appellationis, quod intellige de Appellatione Iudiciali.

Denique non habet locum in iis, quarum qualitas & natura Reconventioni repugnat, & de quibus Iudex Conventionis cognoscere nequit, uti Laicus de Spiritualibus.

Non permittitur etiam Actori Reconvento, Reum reconvenire, ex communi sententiâ.

Proponi ea debet antè, vel statim post Litem contestatam, priusquam juretur de calumniâ, dummodo Reus velit causam Reconventionis, cum causâ Conventionis, simul in eodem Iudicio terminari, ne alias Conventionis causam, cum gravi dispendio

Acto-

Actoris differri contingat. Alioquin Reconventioni locum esse, usque ad sententiam, vel saltem conclusionem in causa, durante Iudicio Conventionis, verius est. Quamvis & in casu, quo pari passu non ambulat Reconventio cum conventione, subjiciat Actorem alienæ Iurisdictioni, isque coram eodem Iudice, nullâ obstante Fori Præscriptione, ad causam Reconventionis respondere cogatur, adeo, ut si respondere nolit, Iudex ei audientiam & jurisdictionem in causa conventionis, denegare debeat.

Propositâ vero Reconventione, ante, vel statim post litem contestatam, Iudex utramque causam Conventionis & Reconventionis, simul expediet: sic tamen, ut prius Reus ad Libellum Actoris respondeat, deinde Actor ad Libellum Rei: Super utraque vero petitione, lite contestata, utriusque Causæ singulos, vel etiam plures, Actus Iudiciales, vicissim eodemque die, si fieri possit, habita semper in primis Actuum Conventionis ratione, Iudex expediet, atque ita, si de utrâque causâ pariter liqueat, utramque una sententiâ terminabit, sic tamen, ut primo scriptum sit caput conventionis, & postea Reconventionis, & unum post aliud immediatè legatur, & proferatur.

Illud denique hic subjiciendum, Actorem si non velit respondere ad libellum Reconventionis, hanc pati pœnam, ut non tenetur Reus ad ejus libellum respondere, priusquam offerat, respondere Libello ipsius Rei.

§. VII.

De Litis Contestatione.

LIcet Iudicium latius sumptum, à citatione legitimè factâ incipiat, quo ad quosdam Iuris effectus, ad quos sola Citatio sufficit: veluti quo ad reddendam rem litigiosam, ita, ut ejus rei sit prohibita alienatio, quo ad inducendam litispendentiam, ut nihil innovari possit. Ad inducendam prævention-nem, seu præoccupationem, ubi pluribus Iudicibus competit Iurisdictio, ut singulis, & in solidum: nam ab uno illorum citatus, si Citatio ad eum pervenerit, dicitur præventus Citatione, adeo, quod coram alio Iudice, concurrentem Iurisdictionem habente postea Citatus comparere non teneatur. Insuper quo ad perpetuandam Iurisdictionem Iudicis delegati; sic ut morte Delegantis, ubi semel emanavit Citatio, non exspiret: Ad interrumpendam Præscriptionem odiosam longissimi temporis xxx scilicet, vel xl. Annorum. Licet, inquam, Iudicium latius sumptum,

tum, quo ad hujusmodi, & similes effectus, à citatione incipiat; tamen Iudicium proprie dictum, secundum communem opinionem, à Litis Contestatione demum dicitur incipere, nec antea dicitur Lis esse, nec Iudicium inchoatum, nec Actor petere, sed tantum petere velle.

Hinc, ante Litis Contestationem, potest tam in civilibus, quam in criminalibus, mutari Libellus, quia Judicium nondum propriè est cœptum; non item post, etiam partium accedente consensu, quia actus substantiales Judicij, qualis est Litis contestatio, cum sit basis & fundamentum Judicij, nequeunt partium consensu tolli. Similiter, ante Litis contestationem, potest adhuc recusari Iudex, non etiam post. Similiter contra Actorem, sine quo tamen Judicium esse nequit, opponi potest, quod non habeat Personam standi in Judicio ut & aliæ exceptiones Fori declinatoriæ, non item post Litem contestatam, quia ijs censetur renuntiatum, per Litis contestationem, & cœptum Judicium.

Item ante Litis contestationem potest Procurator, quasi re integrâ, etiam sine causa revocari, nec potest alium sibi substituere, quia non est factus Litis Dominus, cum Lis

nondum cœpta sit, nisi sit in rem suam constitutus, vel potestatem substituendi à Domino habeat: non autem post Litem Contestatam, quia jam factus est Litis Dominus, ac proinde & alium sibi substituere potest: & quia per Litis contestationem, Judicium incipit, ideo, post eam, non potest amplius Judex recusari. Et hinc etiam exceptiones peremptoriæ, si altiorem requirant indaginem, post Litem contestatam proponendæ sunt, quia respiciunt merita causæ, quæ ante Litis contestationem disputari non possunt.

Est autem Litis Contestatio Rei ad Actoris vel è contra, Actoris ad Rei petitionem principalem, negando, vel affirmando seu confitendo coram Iudice, purè facta responsio, animo contestandi Litem.

Dico, coram Judice: nam si Reus ante petitionem Actoris in judicio factam, debitum confiteatur. non inducitur per hoc Litis contestatio: ac proinde nec definitiva Iudicis sententia, sed solum solvendi præceptum subsequi debet, similiter nec per responsionem Rei ad positiones Actoris fit Litis contestatio, nam qui ponit, non per hoc ostendit se agere velle: Nec etiam, quæ ponit Actor, semper petit: immo multa sæpe ponit, quæ tamen postea non petit, per sententiam Iudi-

cis

cis, sibi adjudicari, & aliud est, ponere, aliud petere.

Eodem modo non inducitur Litis Contestatio, per nudam narrationem facti, & secutam responsionem. quia, ut ante dixi, Litis Contestatio fit solum, per Petitionis in Iure propositionem, responsionemque, sive statim, sive ex intervallo, sive affirmative, sive negative, sive veritatis, sive credulitatis (ut si dicat Reus, non credo, narrata esse vera) verbis conceptam, animo contestandi Litem: non quasi necesse sit, Reum expresse dicere, se respondere animo Litem contestandi, quia semper ita respondere creditur, & præsumitur, nisi expresse contrarium protestetur.

Quin etiam, si protestetur, quod Litem super Libello exhibito contestari nolit, & postea simpliciter respondeat ad Libellum negative, nihilominus per hoc censebitur contestata Lis, quia protestatio actui contraria tollit protestationis effectum.

Impedit tamen Litis contestationem Protestatio de non contestando, per Reum responsioni suæ subjecta. Si tamen in hac Protestatione fallaciter perseveret Reus, poterit ejus contumacia per remedia Iuris coërceri, & ad contestandam Litem cogi: veluti

Acto-

Actori petenti missionem in bonorum possessionem, decernendo ex primo, vel secundo decreto nudam rei detentionem custodiæ causâ, & pignoris vice Actor consequitur nec fructus lucratur: ex secundo vero verus Possessor efficitur. Quanquam si per hujusmodi compulsionem Reus sese gravatum senserit, appellare possit.

Sed nec Litis fit contestatio, si peremptoria exceptio contra intentionem Actoris Reo objiciatur.

Fieri vero potest Litis contestatio, non solum per simplicem negationem, ut quando Reus in Iudicio, negat simpliciter narrata per Actorem, sed & per Confessionem, & per verbum dubitativum credulitatis: ut, si dicat Reus; non credo narrata esse vera, aut, vera esse, ignoro: uti communiter fieri solet, quando fit per Procuratores, vel Hæredes, & alios qui justam ignorantiam prætendunt in facto alieno. Et rursus fit non solum per principales partes, sed etiam per earundem Procuratores, vel Advocatos; modo eorum ad petitiones Actoris responsio non fuerit ab ipsis Principalibus partibus revocata.

Effectus vero Litis contestationis sunt varij. Nam primo rem deductam in Iudicium, tam Reali, quam Personali actione, reddit litigio-

tigiosam, ita, ut amplius abalienari non possit.

Secundo excludit Reum ab exceptionibus dilatorijs, quia per eam fingitur Reus illis renuntiare, nisi de ijs ante fuerit interjecta protestatio, aut Iudicio accepto, ex novâ causâ emerserint, vel novissime ad notitiam Rei pervenerint.

Tertio. A die Litis contestatæ currit instantia, deque insistendo eidem inter Litigatores inducit quasi contractum, ita, ut Actor post Litem contestatam, recedere à Lite non possit, licet ante possit.

Quarto interrumpit Præscriptionem à Reo inchoatam.

Quinto Actiones morte perituras perpetuat, & ad quadraginta annos extendit, modo scilicet Lis fuerit contestata, coram Judice competente.

Sexto facit, ut Actiones pœnales ex delictis, vel quasi delictis, descendentes ad Reorum Hæredes in solidum transeant, quæ alioquin ex Juris Civilis dispositione, non, nisi quatenus ad eos pervenissent, competerent, licet de Jure Pontificio, etiam Lite non contestata, in solidum Hæredes conveniri possint ut Animæ defuncti consulatur. Atque ita Litis contestatio, circa id quod interest, damna

sump-

sumptus, fructus, reliquasque accessiones Lite pendente emergentes, Judicis officium parit, & ab ejus tempore, in actionibus stricti Juris veniunt fructus.

Septimo ex bonæ fidei possessore efficit malæ fidei.

Octavo facit, quod Tutor possit constituere Procuratorem, & Procuratoris mandatum confirmat, Procuratoremque facit Litis Dominum, adeo, ut à Principali revocari nequeat, & alium ipse sibi constituere possit.

Nono Jurisdictionem Judicis perpetuat, & quandoque ampliat ac prorogat; adeo, ut Judicem alias incompetentem faciat competentem, quod tamen in Clerico non obtinet, ne quidem in actione reali, respectu Judicis sæcularis.

Decimo facit, ut ad sententiam definitivam procedi possit de Jure communi, ad quam sine eâ procedi non potest.

§. VIII.

De Iuramento Calumniæ.

FActâ coram Judice Litis contestatione, aut etiam Lite non contestata, ijs casibus quibus Litis Contestatio non est necessaria, non aliter Actori ac Reo suis Allegationibus uti permittitur, quam suo ordine, prius Actor deinde

deinde Reus, Juramentum calumniæ tactis Sacrosanctis Evangelijs præstiterit. Estque adeo necessarium hoc Iuramentum, ut, si ab alterutra parte exactum & omissum fuerit, ejus omissio vitiet processum, & sententiam latam reddat nullam, idque de Iure obtinet.

Calumniari in criminalibus est falsa crimina intentare, in Civilibus vero est per meras frustrationes negotium differre, vel per fraudem alios Litibus vexare. Unde *Calumnia proprie est alicuius in Litibus, per fraudem & frustrationem vexatio*, & Calumniatores, inde appellati sunt, qui per fraudes & frustrationes alios Litibus vexant.

Cæterum hoc Iuramentum, utrimque Lite contestatâ, mox præstandum, plura capita continet Nam primo Actor jurat, se non Calumniandi animo Litem intentare, sed existimare, se justam causam habere, & fovere: Reus vero jurat, quod, putans bonâ instantiâ uti, ad reluctandum & contradicendum venerit. Nec hoc Iuramentum est de Scientia, sed de credulitate.

Secundo uterque jurare debet, quod interrogatus non negabit, quod verum esse credit, quodque sciens & prudens falsâ probatione non utetur.

Tertio quod nullam in tota Lite superfluam

fluam, & quam non existimaverit necessariam probationem ab Adversario suo exiget.

Quarto quod Dilationem non petet in fraudem, ad protelationem causæ.

Quinto quod nihil penitus Patrocinij causâ Iudicibus, vel alijs quibuscunque Personis, pro causâ dederit, promiserit ve, aut daturus sit, vel per se, vel per alios, præterquam Advocatis Honoraria, cæterisque Personis, quibus à Iure dari permittitur.

Præstandum est indifferenter, in omnibus causis, sive sint civiles, sive criminales. sive mixtæ, sive de ijs summarie seu de plano, sive plenariè, & servato ordine Iudicij agatur.

Præterea, licet statim á Lite contestatâ, regulariter præstetur, tamen, quia est de Ordinis Iudiciarij substantiâ, potest à Iudice in qualibet parte Litis exigi, etiam post conclusionem in causâ

Sufficit tamen semel præstare, sive ante, sive post Litem contestatam, quia, cum sit generale, ad totum negotium se extendit.

Si Actor sine causâ hoc Iuramentum præstare nolit, ab instantia. & instituta actione, quasi improbus Litigator cadit. Reus vero si præstare etiam nolit pro confesso habetur, & per Iudicis sententiam definitivam Actori,

juxta

juxta Libelli petitionem, condemnari debet: cum in confessum non sint aliæ partes Iudicis quam in condemnando.

Præstitum autem Iuramentum Calumniæ operatur, ut quis excusetur à tacitâ & præsumptâ calumniâ, non autem ab evidenti & expressâ. Et ideo committens Calumniam, etiam in causa civili, potest criminaliter accusari, finitâ causâ.

§. IX.

De Dilationibus.

LIte Contestata, ac Iuramento Calumniæ utrimque præstito, solent Litigatores petere inducias & dilationes: Actor quidem ad suam intentionem probandam, Reus vero ad Actoris petitioni respondendum, & exceptionem, si quam habeat probandam.

Est autem Dilatio Iudicialis, justum temporis intervallum, quod ad aliquem Actum Iudicialem commodius perficiendum conceditur Actori vel Reo, à Lege, vel à Iudice, vel ex conventione partium. Unde dividi potest in Legalem & Iudicialem, & in eam, quæ ex mutua conventione partium conceditur, quæ ideo Conventionalis appellatur.

Legalis est, quæ à Lege (subintellige vel statuto, vel stylo Curiæ vel consuetudine) com-

conceditur, absque ministerio Iudicis, vel
tigantium.

Iudicialis est, quam Iudex ipse dat, vel
præcepto, vel ex permissione Legis.

Conventionalis est, quæ ex Convention
partium competit.

Ut vero tres sunt Iudicij latè sumptipa
tes, prima à Iudicij præparatione, usque
Litis Contestationem exclusive, quæ potiu
præparatoria est, quam essentialis. Secundi
Litis Contestatione, usque ad sententiam de
finitivam exclusive. Tertia à Sententia usqu
ad ejus executionem inclusive: ita Dilatio
num Iudicialum tres præcipuè sunt specie
Nam aliæ in primâ Iudicij parte dantur, & di
cuntur Citatoriæ, & Deliberatoriæ. Aliæ i
secunda parte conceduntur, & vocatoi
Probatoriæ. Aliæ denique in tertia parte, &
sunt Executoriæ.

*Citatoria dicuntur, quæ citato, seu in Iudi
cium vocato dantur, ad comparendum in Iu
dicio*, & ideo, si primo vocatus non venia
vocandus est secundo & tertio, justo tamen
temporis, ut minimum decem dierum inter
vallo inter singulas citationes, & hodie pa
sim in hoc intervallo utimur stylo cujusqu
Curiæ, qui est alius, atque alius. Potestquel
dex hanc dilationem pro rei seu causæ,

Po

Personarum qualitate ac conditione, & temporis locorumque distantiâ, augere, vel minuere, seu moderari.

Quin imo, si utique justa & necessaria subsit causa, veluti propter viarum periculum, vel si celeritatem res desiderét, potest pro tribus citationibus, uti unâ peremptoriâ. Secus est in causis gravioribus, ad privationem alicujus officij vel Beneficij tendentibus; quia in talib⁹ non sufficit una citatio pro tribus, sed distinctæ citationes, & distincta edicta esse debent, si de Iure trina citatio requiratur. Cavendum tamen Iudici, nec citato peremptorie nimis breve tempus ad comparendum præfigat, maxime si de rebus Ecclesiasticis agatur, nisi urgeat necessitas, alioquin appellationi locus erit.

Quando autem quis uno Edicto, seu unâ citatione Peremptoriâ pro omnibus citandus sit, relinquitur Judicis arbitrio.

Deliberatoria Delatio est, quæ datur Reo, ut viso Libello Actoris, secum deliberare possit, an Litigare velit, vel non. Dantur vero de Jure Novellarum viginti dies à die porrecti Reo Libelli Actoris, & aliquando plures, pro distantia locorum. Quinimo, ijs etiam exactis, varijs alijs Dilationibus locus esse potest: ut si Reus velit Judicem ut suspectum

ctum recusare, & probare esse talem, vel impugnare rescriptum, cujus vi ad incompetentem Judicem citatus est, vel quid aliud simile.

Dixi, Deliberatorias dari Reo, non etiam Actori, quia Actor instructus venire debet.

Probatoria Dilatio est, qui Lite contestata & iuramento calumniæ præstito, Actori suam intentionem, & Reo ad exceptionem suam probandam datur, considerata locorum intercapedine, ubi probatio facienda est. Ethæc omnibus in causis Civilibus regulariter est peremptoria, ac proinde non nisi semel data debet in singulis Judicij actibus, singulisque negotijs emergentibus. Nec ulla hac in parte est differentia inter Actorem & Reum, nisi quod Judex longiorem dilationem dare possit Reo, quam Actori. Non tamen aliter Judici permittitur plurium Dilationum concessio, quam necessariarum, non autem supervacuarum, & rursus non aliter, quam causâ cognitâ.

Hinc Dilatio Probatoria, quæ datur in Judicio, semper est communis: ut si detur uni parti, prosit etiam alteri. In Capitalibus tamen Controversijs, Reo tres Dilationes, Accusatori duæ etiam causâ non cognitâ, dari possunt. Excipitur tamen causa criminalis

Adu-

Adulterij, in qua nulla Dilatio danda est, nisi, ut Personæ exhibeantur, aut Judex, negotij qualitate motus, eam causâ cognitâ concesserit.

Executoriæ Dilationes sunt, quæ dantur condemnato, ad satisfaciendum, & sunt quatuor mensium. Hæ Dilationes non habent locum in Realibus, neque in Criminalibus, nam in his Executio non differtur, nisi certis casibus.

Denique quia Dilationes hodie, & de Jure Canonico, sunt arbitrariæ, ideo Tridentina Synodus Sess. 25. cap. 10. in fine admonet tam ordinarios, quam alios quoscunque Judices, ut terminandis causis quanta fieri potest, brevitate studeant, ac Litigatorum artibus, seu in Litis contestatione, seu in alia parte Judicij decernendâ, modis omnibus aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.

Si in prima dilatione, multi fuerint Testes, producti & examinati, non est danda, secunda & tertia Dilatio, quia multitudo testium refrænanda est.

Effectus Dilationis est, quod excuset à Pœna & mora, & ea durante, officium conquiescat Judicis, nihilque sit agendum aut innovandum, super articulo, seu capitulo, super

quo data est, adeo, ut, si quid innovatum fu
rit, ipso Jure sit nullum, nec queat valid
de consensu partium. Alioquin super a
articulo non conquiescit officium Judic
pendente Dilatione; sicuti nec finitâ cau
Dilationis, quia eâ finitâ immediate finit
Dilatio.

Secundo, is effectus est Dilationis, quo
ubi dies, seu terminus ejus venit, regulari
habeat vim sententiæ interlocutoriæ.

§. X.

De Possessione, & Iudicio Possessorio.

POssessionis definitionem, explicationem
divisionem, ejusque privilegia, in NUC
LEO meo de JURE & JUSTITIA c
5. adduxi, quo Lectorem remitto, ideoque
hoc §. ea tantum, quæ ad praxin Possess
proprie spectant, paucis explicabo.

De Possessione agitur tribus modis, &
triplex est Judicium Possessorium, scili
Adipiscendæ, Retinendæ, & Recuperan
Possessionis: nam omnis controversia de P
sessione instituitur, vel ad adipiscendam P
sessionem, quam Actor nunquam habuit,
ad retinendam, quam habet; vel denique
recuperandam, quam amisit.

Exemplum Possessorij, adipiscendæ in interdicto, quorum bonorum quod competit ei, cui delata est hæreditas, ex Testamento, vel ab Intestato, eâ aditâ, de jure civili, vel bonorum Possessione agnitâ de Jure Prætorio, ad avocandam actualem & effectualem Possessionem (quam nunquam habuit, & quam ipso Jure non acquirit, sicut Dominium) ab eo, qui pro Hærede ejus, de cujus hæreditate agitur, vel pro Possessore possidet, vel ab eo, qui dolo culpâve desijt possidere.

Dixi, quam nunquam habuit; quia, si quãdo habuit, non competit Possessorium, adipiscendæ, sed recurrere debuit ad Possessorium recuperandæ. Idque est generale in ómnibus Possessorijs adipiscendæ.

Secundo in interdicto, quod Legatorum Possessionem ab ipsis Legatarijs, ubi eam propriâ auctoritate, & non ex voluntate Hæredis occuparunt, ut ex legatis Falcidiam detrahere possit: siquidem Legatarij legata ab Hærede petere, non propria auctoritate capere debent.

Tertio in Salviano interdicto, quod competit adversus Conductorem prædij alicujus si invecta & illata (quæ pensionis nomine obligata tenentur) è prædio abduxerit & ab-

stulerit, ut Possessionem eorum restituat e
quo conduxit. Et datur etiam adversus te
tium Possessorem.

Quarto in remedio, quod competit tan
tum Hæredi scripto in Testamento, cujus v
gore potest petere, se mitti in Possessio
nem.

Quinto generaliter in officio Judici
quod imploratur per eum, cui collatum e
Beneficium aliquod, ut mittatur in Possessio
nem, quam nunquam habuit.

Possessorij vero retinendæ possessionis
exemplum est, in interdicto, uti possidetis,
utrobi: quorum illud, datur pro rebus immo
bilibus, hoc pro mobilibus. Datur autem
Possessori, quando injustè & extrajudicialiter
turbatur in sua Possessione, adversus Tur
bantem; ut turbare desinat, teneaturque a
interesse turbationis factæ: quia, si turbetu
judicialiter, ut si moveatur Lis super aliqu
re, quam possidet, non datur ei hoc interdi
ctū, Vti possidetis: quia qui utitur Jure suo
per viam judiciariam, alteri non facit injur
riam. Sicut nec datur, contra Turbantem, de
jectum à sua Possessione: quia licet is non
possit Dejectorem suum dejicere exinter
vallo, verum incontinenti duntaxat, tamen
potest impunè, quandocunque & exinter
vallo

vallo turbare dejectorem in sua Possessione. Quod si vero duo litigent super hoc Possessorio, & quilibet prætendat, se possidere, is obtinebit, qui probabit de antiquiori Possessione: quia junior Possessio præsumitur injusta & clandestina.

Tertium Judicium Possessorium, est recuperandæ Possessionis, & in hoc fuerunt plura remedia, à Jure introducta, & est Interdictum, Unde vi. Condictio triticaria. Condictio incerti. Condictio indebiti. Actio in factum. Officium Judicis. Ex æquitate.

Possessorium retinendæ duplex statuunt, alterum Ordinarium, quod & plenarium dicitur: alterum Summarium, vel potius Summarijssimum, sive Extraordinarium, seu Momentaneum.

Plenarium sive Ordinarium vocant, quando plena causæ cognitio adhibetur, & servato ordine Juris, plenè discutitur atque examinatur, utrum Actor possideat rem, de qua agitur non vi, non clam, non precario ab Adversario suo. Et in hoc requiruntur plenæ probationes.

Summarium vel Summarijssimum illud dicitur, in quo, nullo Juris ordine servato, summatim Judex cognoscit, uter ex Litigantibus possideat, tempore Litis motæ, ad eum

finem, ut ille tanquam Possessor constitu-
tur, & alter sit Petitor: ita, ut salvum ei ma-
neat jus suum, tam quoad Plenarium Posse-
sorium, quam quoad Petitorium.

Dicitur autem Summarijssimum, quia
eo absque tela Judicij, & sine longa protela-
tione Litis, solâ facti veritate, probabiliter
inspectâ, celeriter, & velo levato, ut ajunt,
procedendum est.

Momentaneum vero dicitur, quia senten-
tia in eo lata non perpetuum, sed momenta-
neum & reparabile præjudicium adfert,
quod in Ordinario & pleno Possessorio re-
parari potest, cum sit mera puraque interlo-
cutio, neutri parti, sive in Possessorio Ordina-
rio, sive in Petitorio Præjudicialis.

Denique probatur Possessio varijs modis,
veluti ex perceptione fructuum, censuum &
collectarum solutione, cæterisque actibus
Juris Possessorij, in re factis, demonstratione
viciniæ, scientiâ, locatione, plantatione, satio-
ne, & sic de alijs.

§. XI.

De Restitutione Spoliatorum.

ESt Regula Juris, *quod in Iudicio Spoliatus*
non spoliatus, etiamsi prædo sit, ante omnia
sit restituendus, adeo, ut quamvis alias regu-
lariter Reus non condemnetur, nisi prius au-
dierit

ditus in suis exceptionibus, tamen Spoliator conventus à dejecto seu Spoliato, ne in suis quidem exceptionibus (veluti si Actori objiciat aliquod crimen, vel quod vi aut clam possederit, aut si agatur de Beneficio, quod non sit Canonice institutus) audiatur, priusquam restituerit, quod vi abstulit. Etiamsi de Dominio excipiet, id est, dicere, se esse Dominum rei, de cujus Possessione Actorem dejecit, etiamsi in continenti illud probare vellet; nisi spoliatus consenserit. Secus atque in interdicto adipiscendæ & retinendæ, ubi exceptio Dominij, maximè, si in continenti probari possit, obstat agenti. Idque singulare est in hoc Judicio spoliationis, in odium violenti spoliatoris, qui licet fortè Jus aliquod, vel etiam Dominium in re habuerit, non tamen debuit, rem propria auctoritate auferre sed judicio experiri oportuit, non vim facere, nec ex delicto suo commodum reportare, ideo, nec temporis momento, debet res penes spoliantem esse.

Sunt tamen aliqui casus, quibus spoliatus non est ante omnia restituendus, veluti si spoliatus Beneficio Ecclesiastico, ante spoliationem, Beneficio suo sponte renuntiaverit. Alioqui si post spoliationem renuntiaverit, restituendus erit; quia præsumitur vi re-

nuntiasse, nisi Actor contrarium probet. Similiter si agenti Possessorio recuperandæ uxoris, vel recuperandi Mariti, objiciatur consanguinitas vel Affinitas in gradu, Jure divino aut Canonico prohibito, ad contrahendum Matrimonium, si promptè & in continenti probari potest, recepto ab opponente Juramento de malitia, negabitur restitutio, quo ad thorũ, & prius cognoscetur de Consanguinitate vel Affinitate, idque ob animæ periculum.

Pari modo si Marito, agenti Possessorio recuperandæ uxoris, objiciatur magna in uxorem sævitia, prius cognoscendum erit de Mariti sævitiâ, quam uxor restituatur. Et sic de alijs quibusdam casibus.

Restituere autem, debet Spoliator, rem cum omni causâ, id est, cum omnibus fructibus, quos percepit, aut percipere potuit, à die, quo vi Actorem dejecit, cæterasque utilitates.

Ut tamen, Actor hanc restitutionem obtineat, si agat interdicto, Unde vi, probare debet Primo, se possedisse tempore spoliationis.

Secundo, se de Possessione fuisse dejectum & quidem ab Adversario, in quem agit, vel ab alio ejus nomine, vel saltem, eum spoliationem ab alio factam ratam habuisse. Si ve-

ro

ro agere velit, remedio recuperandæ Possessionis, sufficit probare, se posse dísse, ac spoliatum fuisse, & Possessorem Rei conscium esse Spoliationis. Quod si vero alterum prædictorum probare nequeat, cadit causâ.

Illud postremo notandum, Spoliatum hoc loco dici, qui è cujuscunque rei, sive mobilis, sive immobilis, corporalis, sive incorporalis, Possessione, vel quasi Possessione, injuste vel indebite ejectus, aut eâ privatus est. Ideoque, si Judex, prætermisso Juris ordine, id est, extra judicialiter vel alias absque causæ cognitione, aliquem Possessione rei suæ, vel uti Beneficij, aut alterius, spoliaverit, aut privaverit, is, ante omnia, perinde atque si à Privato spoliatus esset, plene restitui debet. Neque enim Judici, id est, ut est Judex, magis quam ut est privatus, quidquam contra Jus facere permittitur, usque adeo, ut Judici sic de facto injuriosè procedenti de facto quoque resistere liceat, etiamsi rescripto delegatorio inserta esset clausula, Contradictores compescendo.

Et propterea, ut quis Jure privetur Beneficio suo, tria concurrere debent: Primo gravis & rationabilis causa, quæ per se mereatur privationem. Secundo debet hæc causa esse manifesta seu notoria. Neque enim creditur

Judici, etiam Episcopo, asserenti, aliquem criminosum esse, sed oportet, quod manifestè constet. Tertio, quod privetur in Judicio, seu Juris ordine servato.

§. XII.

Vt Lite pendente, nihil innovetur.

EST regula generalis, *quod Lite pendente, nihil sit innovandum*, quo vel Actoris, vel Rei persona, vel eorum conditio, aut Litis pendentis qualitas statusve, aliquo modo immutetur, in præjudicium alterutrius: adeo ut Lite pendente, ne quidem Principi, vel summo Pontifici supplicare liceat, sed rescripta Lite pendente impetrata, non facientia Litis pendentis mentionem, tanquam subreptitia, viribus destituantur, quia præsumitur Princeps aut summus Pontifex non fuisse concessurus, si intellexisset, Litem super eâ re pendere. Hinc etiam Actionum & rerum Litigiosarum alienatio, pendente Lite quovis titulo facta, est prohibita, & ipso Jure irrita. Immo is qui recepit, non tantum cogitur eam rem confestim Alienanti reddere, sed etiam pretium amittit, ac tantumdem Fisco præstat, si sciens rem litigiosam emerit, seu per aliam speciem contractus receperit; sin ignarus, pretium ejusdem, vel veram æstimationem, ubi pretij datio non fuit, una cum

cum aliâ tertia parte ejusdem, ab alienante recuperabit. Et, si res, pendente Lite alienata, recuperari non possit, debet is, qui alienavit, aliam æquivalentem, in ejus locum surrogare.

Lis autem pendere dicitur non tantum, quando est contestata, sed simulatque Reus ab Actore in Ius vocatus est, addita & clare expressa causa, ob quam vocatur: Litigiosa vero res dicitur, de cuius Dominio, causa movetur inter Possessorem & Petitorem judiciaria conventione. Et ideo controversia super Possessione, non facit rem litigiosam. Accusatus igitur de Adulterio, ob quod agitur ad divortium, id est, ad separationem thori, non debet pendente Lite, ab uxore separari, seu privari possessione conjugali, quia Litis pendentia, non suspendit exercitium Matrimonij.

Similiter, si ex duobus Litigantibus, super Electione, de se in discordia facta, alter decedat, vel renuntiet, vel à prosecutione causæ excludatur, Ad novam Electionem, ante Litem super Electione alterius finitam, procedi non potest. Pari modo, altero ex Litigantibus super Beneficio Ecclesiastico cedente, vel decedente, non potest ante finitam Litem, cum Superstite, Beneficium alteri conferri, vel ad illud alius eligi, aut præsentari. Irritumque

iqso Jure habetur, si quid secus factum fuerit.

§. XIII.

De Probationibus.

NOn semper Reus admittit positiones Actoris, tanquam veras sed ad quasdam respondet Negative, & per verbum. Non credo, ideoque has Actor probare debet, alias enim Actore non probante Reus absolvitur.

Probare hic idem significat, quod Judici fidem facere, de facto aliquo dubio, de quo in Judicio est controversia. *Et probatio non est aliud, quam iudici rei dubiæ apud eum controversæ, per legitimos modos facta ostensio.* Dico Judici, quia Probatio fit, non ad instruendum Adversarium, sed ipsum Judicem.

Dixi, de facto aliquo; quia, quæ sunt Juris, probari non debent, quandoquidem Judici nota sint, vel esse debeant, & secundum Leges, ex quibus causæ decisio pendet, judicare eum oporteat, licet eæ à Litigatoribus non allegentur; nisi Jus ipsum negetur. At vero ea quæ sunt facti, Judici sunt ignota, nisi illi probentur.

Addidi rei dubiæ quia notoria non indigent probatione, & notorium non probari, sed potius allegari debet.

Probatio secundum Jurisconsultos, dividitur in Plenam & Semiplenam, *Plena dicitur*

qua

qua plenam fidem facit Iudici, de re, de quâ agitur: ita, ut secundum eam ferre Sententiam & Controversiam definire possit, nullo alio ulterius requisito; ideoque qui taliter probavit, non potest amplius compelli super ita probato ad Juramentum.

Hujusmodi est Probatio, quæ fit per duos, vel plures Testes, omni exceptione majores, id est, quorum fides nullâ ex legitimâ causâ relevari potest, & qui, communi Hominum opinione, reputantur boni viri. Et regulariter ad plenam fidem faciendam, in quâlibet causâ duo tales sufficiunt.

Dico Regulariter; nam pluribus in casibus requiritur major numerus: ut de Jure Civili ad Testamentum septem, ad Codicillos, & Donationem, causa mortis, & quamlibet ultimam voluntatem à Testamento distinctam, quinque, & sic de similibus. De Jure Canonico Testes contra Episcopum requiruntur septuaginta duo; contra Presbyterum Quadraginta Quatuor. Contra Diaconum viginti septem. Contra Subdiaconum, Acolythum, Exorcistam, Lectorem, Ostiarium septem, Contra Clericum tres, non notati aliquâ infamiâ. Similiter Plena Probatio est, quæ fit per instrumenta publica. Nam Testes & Instrumenta indubitatæ pro-

bationis appellantur. Interdum etiam privata scriptura, signa & sigilla, adversus eum, qui scripsit, signavit vel sigillavit, plenam fidem faciunt, licet pro eo nullam fidem habeant. Insuper illa, quæ fit per Confessionem partis in Jure, id est, in loco Judicii, seu ubi Jus dicitur vel per Juramentum, quod ab altero Litigatorum defertur alteri.

Semiplena Probatio, quæ etiam imperfecta dici potest, *est, quæ Iudici facit quidem aliquam, non tamen plenam fidem*, id est, non tantam, ut ex eâ jure moveri possit, ad ferendam pro hac vel illâ parte sententiam, sed opinionem tantum ingerit. Talis est, quæ fit per unum Testem, omni exceptione majorem. Secundo talis est in causis civilibus, quæ ex famâ constanti producitur, unius tamen Testis de veritate deponentis, testimonio confirmata. Alias Famà inconstans non probat, sed tantum conjecturam facit: Sæpe enim fallax est rumor. Tertio, quæ ex comparatione litterarum elicitur: nam talis comparatio firmam probationem non facit, eo, quod scriptura ætatis, valetudinis, calami, atramenti, vel chartæ vitio mutetur, nec eandem semper retineat similitudinem.

Hinc patet, Probationum Semiplenarum, quasdam esse majores, quasdam minores.

Pro-

Probatio, quæ fit per unum Testem, omni exceptione majorem, & per aliqua indicia, quæ tamen ad plenam fidem faciendam non sufficiunt, major est, quam quæ fit per unicum Testem tantum.

Aliter dividi potest Probatio in Judicialem, quæ scilicet fit in Judicio, post Litem contestatam, & in Extrajudicialem, quæ fit extra Litem: qualis est, quæ fit ad perpetuam rei memoriam.

Vnusquisque Litigantium debet probare fundamentum suæ intentionis, sive sit affirmativum, sive negativum: ideoque Actor probare debet suam petitionem ac Libellum, atque omne id, per quod petitionem & Libellum sustinet, seu defendit; & vicissim Reus probare debet suam exceptionem; quia excipiendo fit Actor, & Agendo, ipso facto suscipit in se onus probandi, sive neget, sive affirmet.

Dixi, sive sit affirmativum, sive negativum, id est, verbis Negantibus concipiatur: Quia licet regulariter, Neganti non incumbat probatio, tamen id fallit quibusdam casibus.

Primo quando quis fundat intentionem suam in negativâ, sive agendo, sive excipiendo, sive sit negativa Juris, sive Facti, aut Qualitatis.

Nec

Nec obstat, quod dicitur, per rerum Naturam factum Negantis, nullam esse probationem: quia id obtinet in negativâ vagâ, puta indeterminatâ, indefinitâ, absolutâ, & simplici, quæ sine determinatione, seu coarctatione loci, temporis, vel alterius circumstantiæ proponitur. Non autem obtinet, quando quis in negativa se fundat, vel allegat eam Tacite, vel Expresse aliquid asserendo: quia tum eam probare debet. Hinc petens contractum declarari nullum, tanquam à Minore celebratum, tenetur ætatem probare: &, qui dicit institutionrm non esse legitimam, obvitium, vel defectum, vel objicit Electo aliquem defectum, gravatur onere probandi.

Similiter si Reus, conventus de indebito sibi soluto, neget, se quidquam accepisse indebitum, & Actor Testibus vel Instrumentis, non tamen Jusiurandi delatione, probaverit solutionem, Reo incumbit probare, quod pecuniam debitam acceperit.

Secundo Negativam probare debet, qui sponte ejus probationem in se suscepit. Hoc tamen casu, si in Probatione defecerit, nihilominus venit, absolvendus ex communi regula. Actore non probante Reus absolvitur.

In Judicio communi dividundo, familiæ ercis-

ercifcundæ,& finium regundorum, atque in Interdicto retinendæ Poſſeſſionis, uterque probare debet : quia uterque eſt Actor & Reus.

In Judiciis Finium regundorum, uterque contendit,ſe fines ſuos tantum occupare : In Interdicto retinendæ Poſſeſſionis, uterque contendit,ſe poſſidere.

Itaque in his Judiciis is obtinebit,qui probabit ſuam intentionem , altero non probante.

Judicialis Probatio, facienda eſt poſt Litem conteſtatam; quia tum demum dicitur cœptum Judicium,nec ſcitur ante, an Reus ſit negaturus, an confeſſurus id,quod intenditur: quia id fit per Litis conteſtationem,ac proinde ſciri antea nequit, quid probandum ſit,vel non. Tum vero facienda eſt, Judici, cui fieri debet, eam per ſententiam interlocutoriam decernente.

Soletque Judex ſub certis dilationibus Probationem decernere, & intra illas facienda atque abſolvenda eſt. Quanquam hoc nō uſque adeo obſervetur , ſufficiatque hodie Litigatorem exhibuiſſe articulos, & nominaſſe Teſtes ad Juramentum & examen, cum reliqua non ſint in ejus poteſtate.

Poſt quartam tamen productionem Teſtium,

stium, aut publicata testimonia, non est admittenda probatio, ut nec post conclusionem in causâ, nisi in criminalibus, ad innocentiam Rei Probandam, quo casu, etiam post sententiam, & rem judicatam, recipi debet. Cæterum fieri Probatio potest tam in loco Judicii, quam extra, ubicunque Judex, qui Examinationi potest, sederit.

Extrajudicialis vero Probatio, ut illa, quæ fit ad perpetuam rei memoriam, vel per modum simplicis inquisitionis, aut ubi ex conventione partium, citra solemnem Ordinem Litigatores procedunt, fieri potest, nullâ exspectatâ Litis contestatione, immo ante Libellum exhibitum.

Probatio, inprimis debet esse clara, & certa, & quidem in Criminalibus, præsertim Capitalibus, propter maximum Præjudicii luce meridionali clarior, Sed nec Probatio generis, in quæstione speciei, nisi etiam in specie fiat, sufficit.

Finis autem Probationis est, fidem Judici facere.

Effectus vero, quod secundum eam, si sufficiens fuerit, Judex pronuntiare debeat sententiam. Alioquin tanquam Litem faciens suam, in id, quod Litigatoris interest, condemnabitur.

Quod

Quod si, pares fuerint Probationes Actoris & Rei, pro Reo, tanquam favorabiliori pronuntiabitur. Alias pro eo, qui intentionem suam melius, & magis sufficienter probaverit.

Nec obstat, quod Probationes dicantur esse arbitrariæ, & ab arbitrio Judicis pendere; quia nihilominus Judex eas Probationes, quas leges pro integris & plenis habent, sequi, & pro integris habere debet, ne Jus commune partibus invertat. Nam secundum Allegata, & Probata, Judicem judicare oportet, non secundum scientiam suam.

Sed cùm, Actore non probante, Reus sit absolvendus ab instantia, Quæritur, an Actor ex novis Probationibus eã redintegrare valeat? Dicendum, posse, dummodo Reus ob defectum Probationum, non etiam ex contraria Probatione, aut Purgatione, ab instantia sit absolutus.

Denique Plena Probatio relevat Actorem ab onere Juramenti præstandi.

§ IV.

De Testibus & Attestationibus.

INter modos, negata ab Adversario Probandi frequentissimus est, qui fit per Testes, multoque efficacior ac dignior, quam

qui

qui fit per Instrumenta, cum etiam falsitas Instrumenti, vel quod deest Instrumento, per Testes probari possit.

Modus hic probandi in omnibus omnino Judiciis locum habere potest, tam Criminalibus, quam Civilibus, tam Ecclesiasticis & Spiritualibus, quam profanis, tam in primâ, quam in secundâ instantiâ.

Dicitur autem Testis is, qui ad fidem alicujus rei faciendam accersitur.

Ut autem probent Testes, debent esse idonei & fide digni, seu, ut dicitur, omni exceptione majores.

Cum edictum de Testibus sit prohibitorium, fit, ut quicunque à Canonibus vel Legibus expressè non prohibentur, ad Testimonium ferendum admitti debeant.

Qui prohibentur, alii generaliter Testimonium ferre vetantur. Et in primis, ob defectum, vel infirmitatem Judicii, tam in Criminalibus, quam in Civilibus, prohibentur furiosi, non habentes lucida intervalla, mente capti & Pupilli; quia Juramentum, sine quo Testi non creditur, præstare nequeunt.

Secundo generaliter prohibentur damnati judicio publico, & à Principe non restituti: item qui in vinculis custodiâve publicâ fuerunt, judicio publico Rei: item qui cum be-

stiis

stiis ut depugnarent, se locaverunt, Præterea Serui, quia pro nullis habentur.

Surdus quoque de auditu, cæcus de visu Testis esse non potest. Alii prohibentur ferre testimonium pro certis, vel contra certas Personas, vel in certis causis duntaxat: Et in primis nullus est idoneus Testis in re sua, aut propriâ causâ. Propria autem causa dicitur, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet. Hinc Hæres institutus in Testamento Testis esse non potest. Contra vero Legatarius & Fideicommissarius particularis rectè in Testamento, in quo sibi legatum, vel fideicommissum relictum est, tanquam Testis de jure communi adhibetur.

Secundo Domestici Testes, & Familiares, item Consanguinei & Affines à testimonio repelluntur. Exceptâ causâ matrimoniali, & Religionis: nam ex prærogativa conjugii, & quia favorabilis res est, sicut & Religio, Parentes, Fratres & Cognati utriusque sexus, in Testificationem suorum, ad matrimonium conjungendum vel dirimendum rectè admittuntur.

Dicitur autem Testis Domesticus propriè, qui ex eâdem domo est, & nobis cohabitat.

Ad

Ad hoc tamen, ut quis sit talis Domesticus, qui Testificari prohibeatur, non videtur sufficere communis habitatio, sed quo debeat concurrere alia etiam causa, nempe vel potestas, vel obedientia, vel obsequium aut nimia affectio, vel alia similis.

Inter Domesticos primum locum obtinet uxor, quæ merito á Testimonio in causa maritali repellitur, sive pro Marito, ob nimiam affectionem, sive adversus Maritum ab reverentiam, quam eidem debet, & communiter exhibet, aut exhibere debet. Excipitur tamen Crimen læsæ Majestatis

Secundum locum obtinent Liberi, si modo unà habitent. Et hi quidem regulariter sive sint Domestici, sive non, neque pro Parentibus, neque contra Parentes, in Judicio admittuntur; propter reverentiam, quam debent. Idemque dicendum de Parentibus respectu Liberorum.

Tertio inter Domesticos Testes referuntur Fratres, & ex Fratribus descendentes, qui simul adhuc sunt sub patriâ potestate, & una habitant, qui tamen, quamvis simul non habitent, neque pro se invicem, neque contra invicem, idonei sunt Testes.

Quarto Liberi, qui cum Patrono morantur, in causâ Patroni.

Quinto

Quinto Serui adscriptitii, ab hostibus redempti, & addicti, itemque Mercenarii, qui mercede constitutâ nobis serviunt, si modo nobiscum una habitent.

Tertio à Testimonio repelluntur infames, infamia Juris, tam in Civilibus, quam in Criminalibus, adeo, ut nec contra Infamem admittantur. Excipitur Crimen læsæ Majestatis. Item Crimen Hæresis.

Quo ad Infames in famiâ facti, distinguere solent; ut in causis criminalibus arceantur à Testimonio, in Civilibus vero admittantur, idque pro Judicis arbitrio. Quarto Hæretici, Judæi & Pagani non possunt esse Testes contra Christianum & Catholicum. Valeret tamen Testificatio Judæi pro Christiano, contra Christianum.

Quinto à Testimonio repelluntur Inimici Capitales, idque obtinet, etiamsi Inimicus fuerit reconciliatus: quia, nisi amicitia longo tempore confirmata fuerit, adhuc præsumitur durare inimicitia, licet etiam agatur de crimine læsæ Majestatis, Simoniæ, Hæresis, & aliis enormissimis criminibus. Capitalis autem Inimicus dicitur, cum quo est controversia, seu lis capitalis, vel quæstio de libertate, cum servitus morti comparetur, vel etiam de existimatione, seu famâ quandoquidem

existi-

existimationis & sanguinis eadem est ratio imo illius major, viris bonis, quam vitæ. Inimicitia autem non Capitalis, neutiquam repellit quem à Testimonio.

Sexto Judex. Assessor, Executor, Advocatus & Procurator, non possunt produci Testes in eâ causâ, de quâ cognoverunt, vel in quâ patrocinium præstiterunt. Et neque Administrator, neque negotiorum gestor pro suo principali, in gesto, vel gerendo negotio, etiam finito negotio, quando adhuc agitur de ejusdem commodo, vel incommodo laude vel vituperio. Si autem is, contra quem quis fuit Advocatus, Procurator, Assessor, vel Executor, petat eum in Testem, tunc rectè admittetur.

Septimo mulier in Testamento nequit esse Testis, nequidem confecto à Rustico. Potest vero adhiberi Testis ad Testamentum Militis stantis, & Testantis in acie, in quo Testes non debent esse rogati, & in quo remissa est solemnitas Juris Civilis, solumque Jus Gentium spectatur. Quemadmodum & in Testamento Patris inter Liberos.

Quæritur etiam, an in Codicillis Mulier Testis esse possit? Et posse verius est, ex quo non reperitur prohibitum.

In aliis vero Mulier Testis esse potest, non tantum in Civilibus; sed etiam in Criminalibus, de Jure Civili, nisi de Crimine Civiliter agatur, veluti contra Clericos, sive per viam Inquisitionis, sive per viam Denuntiationis, vel Exceptionis.

Præterea Laicus contra Clericum non admittitur, quando criminaliter agitur, quo ad plenam scilicet probationem.

De Monachis, Canonicis Regularibus, & aliis Religiosis quæritur, an possint esse Testes? Et verius est, posse, quia alias neque in causâ Ecclesiæ suæ, vel Monasterii testificari possent, quod falsum esse patet.

Denique, Minor viginti annis, in Criminalibus nequit esse Testis, quia habetur Judicii imbecillioris, lubrici & temerarii, in Civilibus vero, præsertim exiguis, Testificari non prohibetur.

Illud quoque observandum, moribus passim obtinuisse, ut Testem Judex non repellat, nisi quid ei pars opponat, alias eum suspectum haberi.

Deinceps videndum est de modo recipiendi, & producendi Testes.

In primis, si Actor suam intentionem, vel Reus suam exceptionem per Testes probare velit, debet in Judicio petere ab ipso Judice,

admitti ad probandum, & dari sibi termi-
num probandi. Eoque facto, intra statutu
sibi à Judice terminum Testes producen
sunt: citato tamen, & evocato Adversario,
videat, Testes produci, & jurare, si quid for
habeat, quod contra personas eorum obj
ciat, quo minus idonei sint, ad Testimoniu
ferendum, ac id ante eorum receptionem,
examen, vel saltem publicationem depo
tionum proferat. Alioqui, contra non Cita
tum, facta receptio Testium, est nulla, ta
quam facta contra leges, & Judiciorum o
dinem.

Quod si Citatus Adversarius compare
tunc producens Testes, exhibet ei & Jud
articulos, super quibus eos producit, & pra
terea nomina, Testium. Tum si quid Adve
sarius objiciat Testibus, quod eos à Tes
monio repellat, erit in arbitrio Judicis, pro
ei æquum videbitur, vel admittere prius Ad
versarium ad probandum objecta, suspen
interim examine, vel contra, dilata probati
ne objectorum, examinare Testes; nisi for
Objiciens, objecta in cōtinenti probare off
rat, vel in dilatione examinationis, aut pro
bationis objectorum, periculum esset in
ritus Testium.

Sin autem citatus Adversarius & præsen

nihil objiciat in Personas Testium, ante eorum receptionem, vel examen, vel saltem publicationem depositionum, regulariter, post illarum publicationem, aliquid objicere volens, non auditur, quia tacendo, usque ad publicationem, censetur exceptionibus contra Testes renuntiare, nisi vel proprio Juramento affirmet, quod malitiose ad hoc non procedat, vel ante publicationem, protestatus fuerit, quod sibi reservet Jus objiciendi, quod videbitur, vel docuerit exceptiones, quas, publicatione factâ, objicere vult, de novo tunc ad suam notitiam pervenisse, vel nisi probaverit legitimè, quod eas, ante publicationem, objicere volens, à Judice impeditus fuerit, vel denique, nisi sint tales exceptiones, quæ post attestationum publicationem, ipsos Testes inhabilitent, veluti, quod Testis sit Excommunicatus, Judæus, Hæreticus, & similes, quibus renuntiare non intelligitur.

Si vero, Testibus productis, nihil objiciatur, quo eorum Testimonia enerventur, statim ad Testimonium dicendum admittendi sunt. Item Adversarius, si velit, potest exhibere Judici Interrogatoria sua, ut vocant, super articulis sibi prius exhibitis, secundum quæ, petat à Judice, Testes interrogari, &

examinari. Et ideo cavere debet Judex, ne istorum interrogatoriorum, Adversarius copiam consequatur, ne eâ occasione, suos Testes ad falsitatem instruat, & per subornationem fraus committatur.

Testibus deinde, ad Testimonium dicendum admissis, & tam partis producentis articulis, quam partis adversæ interrogatoriis Judici exhibitis, Judex ipse Testes receptos diligenter examinabit, vel, si gravioribus distineatur negotiis, aut aliàs commodè non possit eos examinare, examen alteri, cui velet, idoneo tamen & discreto, vel etiam Judici Territorii, in quo Testes degunt, committet, si scilicet Civiliter agatur: nam in Criminalibus hæc commissio non est permissa.

In ipso vero examinis limine, Judex ipse, vel is, cui examen Testium demandaverit, jubebit, præsente Adversario, vel etiam eo absente, si citatus comparere noluerit, Testes jurare, quod neque odio, neque amicitiâ, neque favore, neque aliquo commodo, quod habuerint, vel habituri sint, inducti, sed solius veritatis amore moti, ad ferendum Testimonium venerint, quodque super omnibus, de quibus interrogabuntur, rei veritatem, prout secundum conscientiam suam no-

verint,

verint, dicturi sint, quodque depositiones suas, ante legitimam eorundem publicationem, neutri parti manifestabunt, seu aperiēt. Nam Testi non jurato minimè creditur, etiamsi esset Religiosus, in præjudicium alterius, idque maximè obtinet in Criminalibus.

Inde, Judex examinabit singulos Testes separatim, remotis Litigantibus, & adsumptis tam Producentis articulis, quam adversæ partis interrogatoriis, unumquemque interrogabit, cujus sit ætatis, & conditionis, an Litigatores noverit, & quâ notitiâ, vulgari, an aliâ; an uni parti magis faveat, quam alteri, an sit unius, aut alterius consanguineus, vel Affinis; an ex Testimonio suo commodum speret, vel incommodum timeat. Item interrogabit de loco, tempore, visu, auditu, credulitate, scientiâ, famâ, certitudine, & aliis similibus causæ circumstantiis, & potissimum de ratione sui dicti, seu depositionis, sive scientiæ: adeo ut si Producentis Adversarius, in suis interrogatoriis id fieri jusserit, & Examinator dolo vel negligentiâ omiserit, ad omne interesse, parti adversæ teneatur, ut etiam, si Testis interrogatus rationem sui dicti eam non reddiderit per aliquē, ex quinque sensibus, qui negotio & facto, de quo inter-

rogatur, congruit, depositio ejus præsertim in criminalibus sit nulla. Si vero reddiderit, sed non probabilem. Testimonio ejus non credetur.

Nam ratio in Teste, dat esse ejus Testimonio, & illud salvat, vel destruit. Et ideo, licet dictum ejus, per se non probet, tamen ratio dicti reddita sufficiens probat : ut si dicat, Nihil scio, nisi quod viderim contenta in articulo fieri. Contra vero, si dicat, scio, quia audivi ab alio, jam deficit ratio, & fundamentum sui dicti, nec probat: nam Testimonium de auditu alieno regulariter est nullum. Dico de auditu alieno; quia, si res sit perceptibilis auditu, & Testis de proprio auditu deponat (ut si dicat , Sempronium esse obligatum, Sero, quia audivit promittentem) probat. Debet etiam ratio dicti esse separata ab ipso dicto. Et ideo si deponat , Titium mutuasse Seio centum , pro causâ scientiæ dicere debet, quia vidi centum numerare , ex causâ mutui ; non autem dicere, quia scio : nam tunc ratio esset eadem cum dicto, atque ita non probaret.

Non tenetur tamen Testis, præcisè reddere causam suæ scientiæ, nisi expresse vel implicite interrogetur , præterquam in causis Criminalibus , & ubi agitur de factis, quæ solo

solo Judicio intellectus percipiuntur: veluti si deponat, aliquem esse sanæ mentis, esse divitem, esse Dominum alicujus rei, habere jus decimandi, vel aliquid aliud simile, quod potiùs judicio intellectus, quam aliquo sensu corporeo percipitur. In iis etiam non interrogatus debet reddere rationem suæ scientiæ.

Similiter ut probatione factâ per unum Testem deferatur Juramentum suppletoriũ Probationis, necesse, quod ille Testis etiam non rogatus, reddiderit causam dicti sui seu scientiæ: alias non facit semiplenam probationem.

Examine Testium, ex parte Actoris producentis ita facto, admitti debet vicissim Adversarius, ad probationem eorum, quæ in Personas Testium, ab Actore Productorum objecerit, si ante ad hoc non fuerit à Judice admissus. Et si ad hæc objecta probanda, aliquos produxerit Testes, permittitur etiam vicissim Actori hos Testes, ad fidem eorum enervandam, vel minuendam, per alios Testes reprobare. Vlterius vero Testium reprobatio non est permissa.

His ita peractis, Judex Litigantes in suâ præsentia constitutos interrogabit, an plures Testes producere velint: &, si dixerint, se

velle, audientur, ut si forte timeat quis, ne auditi super articulis, super quibus eos produxit, non satis pro se deposuerint. Admittique debebit secunda & tertia productio, non autem quarta, nisi quarto producere petens iurejurando affirmet, se id petere, non dolo, neque aliquo modo testificata didjcisse; sed quia eorum, quos nunc producere intendit, copiam prius habere non potuerit: quia ef. frænata & nimia multitudo Testium à Judice refrænanda est & inhibenda.

Si vero negaverit, se velle plures producere, & ulteriori productioni renuntiaverint, petentibus utrimque Litigantibus, vel altero absente, citato tamen, & contumace, Judex Testium dicta, & Attestationes publicabit, interloquendo hoc, vel simili modo: Dicta Testium in hac causa publicamus, eaque pro Publicatis & apertis habere volumus. Facietque Litigantibus potestatem habendi eorum copiam, & examinandi, intra competentem terminum, quatenus pro se, vel contra faciant, & dispiciant, quid adversus Testes contra se productos, scripto postmodum objicere possint: veluti quod obscurè & confusè deposuerint, ut ex eorum dictis elici, & declarari veritas non possit, adeoque obscurè dictum, pro non dicto habetur, quo-

item

item in Depositionibus sibi contrarientur, & contradicant: Testis enim contrarium suæ priori attestationi, postea deponentis, sine ulla, vel erroris, vel justæ causæ allegatione Testimonium, nullum est, vel quod sint singulares, qui regulariter non probant.

Publicatione Attestationum factâ, super iisdem, vel directe contrariis articulis, in eâdem, vel aliâ instantiâ, iidem, vel alii Testes produci nequeunt. Sicuti nec quando ulteriori productioni Testium renuntiatum est, idque ob metum subornationis novorum Testium.

§. XV.

De *Fide Instrumentorum.*

DIcitur Instrumentum ab Instruendo. Specialiter vero & proprie *Instrumentum capitur pro qualibet Scripturâ, quæ fidem rei, quam continet, Iudici facit, & causam instruit.*

Sunt autem Instrumenta duplicia: Alia enim sunt Publica, alia Privata. Instrumentum Publicum propriè dicitur ea Scriptura quæ publicæ Personæ, veluti Tabellionis seu Notarii Publici, vel alterius, ad cujus officium publicum spectat Instrumenti confectio, manu debitâ formâ confecta est. Debita forma consistit in hoc, quod fiat à Notario Publico,

ex mandato Judicis, aut à Partibus ad hoc rogato, rei de quâ agitur, gnaro, cum expressione anni, indictionis, mensis, diei, loci, in quo fit contractus ipse, vel actus, qui Instrumento continetur: quod præterea inscribantur nomina Testium, cum ipsius Notarii, seu Tabellionis subscriptione. De Jure communi requiritur quoque expressio nominis, aut Imperatoris, aut Principis, in cujus ditione conscribitur; sed quo ad Principem, id usus non observat.

Sunt tamen quædam Instrumenta, quæ licet non sint à Personâ publicâ confecta, tamen quo ad effectum probandi, dicuntur publica. Hujusmodi est Scriptura alicujus Privati sigillo aliquo publico & authentico signata, quale est sigillum Episcopi, Principis sæcularis, Capituli, Civitatis, Vniversitatis, & alterius Communitatis jus Sigilli habentis.

Secundo Scripturæ qualescunque, quæ ex archivo publico extrahuntur.

Tertio, quæ fiunt apud acta publica.

Quarto Scriptura habens subscriptionem Scribentis, & Testium.

Subscriptio, vel Suprascriptio in Scripturâ, vel Instrumento facta continet, & arguit Subscribentis approbationem, perinde ac si to-

totam Scripturam manu propriâ scripsisset.

Sigilli vero appositio vim subscriptionis & Confessionis obtinet.

Et à Domino Sigilli facta præsumitur, quando est Sigillum ejus, qui sigillavit, aut subscriptione hoc testatus est.

Dividi possunt Publica Instrumenta, in Judicialia, quæ scilicet fiunt apud Acta, & in Judicio, Auctore Judice, & in Extra judicialia, quæ fiunt in Contractibus à Notario, extra Judicium ad id rogato.

Privatum Instrumentum generaliter est omnis scriptura, à privatâ personâ, non autem à Notario confecta, sive sit authentica, sive non: Quod vocatur Instrumentum Domesticum.

Instrumenti Privati, seu Scripturæ Privatæ variæ sunt species: hæ tamen principales, communiter constituuntur. Apocha, Antapocha, Syngrapha, Liber Rationum, & Epistola.

Differunt in eo Publica à Privatis, quod non solum ipsa Originalia, ut nostri vocant, id est, prima & principalia Instrumenta, publica per se, sine alio adminiculo, plenam fidem faciant de eo, quod dispositive continent, sive pro proferente, sive contra proferentem;

rentem ; sed etiam eorum exempla , se exemplaria, id est, ex Originali ipso desump ta, dummodo iussu Judicis desumpta , se exemplata fuerint : alias enim sine Origina libus nullam fidem faciunt, sed tantum Con jecturam & suspicionem inducunt, vix dela tioni Juris jurandi sufficientem.

Dixi, plenam fidem facere de eo, quo dispositive continent ; quia quo ad ea, qua in illis enuntiativè, & incidenter narrantur, non probant, in præjudicium Tertii.

Deinde, quod dictum est, Publicum Instru mentum plenam fidem facere, intelligendum est, donec contrarium probetur , sive per Te stes contrarios minimum tres, vel duos, om ni exceptione majores , sive per aliud Instru mentum, alteri contrarium : & modo Adver sarius nihil objiciat ; veluti quod non si confectum à Notario, qui eidem subscripsit quod rasuram , seu cancellationem habeat circa substantiale Instrumenti , vel etiam ra suram dictionis, vel syllabæ, aut Litteræ, quæ immutet sensum Instrumenti, quia inde red di potest , aut falsum , aut saltem suspe ctum.

Instrumentum autem privatum regulari ter non facit fidem pro Scribente ; quamvis esset confectum manu Notarii , si desint so lem-

lemnia ad Scripturam publicam requisita, aut conscriptum manu Episcopi, adeo ut ex scripturâ merè privatâ, juxta communem sententiam, nequidem semiplena probatio inducatur.

Facit tamen Instrumentum privatum fidem pro Scribente, Primo quando est trium Testium subscriptione munitum; quia tum quasi publice confectum creditur.

Secundo, si Instrumentum longo tempore inter partes observatum sit, & in Judicio pro tali sæpius habitum, atque exhibitum.

Tertio, si item agatur de modicâ summâ.

Quarto, si recipiat aliquod fomentum, vel supplementum, unde fiat authenticum.

Quinto, si sit juramento confirmatum.

Sexto, Si inter partes convenerit, vel Instrumentum privatum plene probet.

Denique si ab Adversario scribentis approbatum sit.

At vero contra Scribentem, si causam expressam habeat, ex quâ debitum petitur, veluti ex mutuo, ex empto, ex locato, plenam fidem facit, etiam nullo Teste adscripto: modo tamen is, qui scripsit, fateatur, se scripsisse, quia quisque debet suæ Confessioni contra se stare. Sin autem causam expressam non

habeat neutiquam probat adversus Scribentem, quia censetur indiscretè scripsisse.

Edi in Judicio, debent Instrumenta, instar aliarum Probationum: & quidem parte citata, ac post Litem contestatam, alias non probant.

Post Conclusionem vero in causâ, produci amplius non possunt; quia is est terminus exclusivus omnium probationum, cum factâ Conclusione, de causâ liquere dicatur.

Hoc tamen fallit Primo: si ex justa aliqua causa Judex, postquam concluſum est in causâ, ea admittere velit: quia, quo ad Judicem, nunquam in causâ concluditur, ideoque Conclusionem rescindere, & ulteriorem probationem partibus iniungere potest.

Secundo si producens Instrumenta fidem faciat Juramento, ea demum post conclusionem in causâ, venisse ad suam notitiam facta prius diligenti inquisitione.

Tertio in causâ Matrimonij, in quâ sententiâ maximè contra Matrimonium lata nunquam transit in rem judicatam.

Quarto quando Instrumentum non ad probandum, sed ad priores probationes declarandas profertur.

Quin-

Quinto. In Criminalibus, in quibus non concluditur in causâ, quo ad Reum, quin semper usque ad sententiam possit ejus Innocentia detegi; idque favore Defensionis receptum est.

Sexto, si ex Beneficio Restitutionis in integrum subveniatur Minori, vel Ecclesiæ, aut etiam Majori, ex clausulâ generali. Si qua mihi justa, &c.

Septimo in Causa Appellationis possunt ea Instrumenta produci, quibus in priori Instantia obstabat conclusio.

Produci debent in primis Judici ipsa Instrumenta Originalia, quia exemplis seu exemplaribus eorum regulariter non creditur, nisi auctoritate Judicis exemplata sint, concurrentibus ijs, quæ ad exemplationem requiruntur. Potest tamen producens, originali semel exhibito, eo recepto, relinquere in actis copiam collationatam, ne forte originale aliquo casu in actis perdatur, vel surripiatur.

Edi autem oportet Instrumentum totum Judici: ac parti tantum ejus Capituli copia danda, de quo est quæstio, restituto Originali Instrumento.

Cæterum an Reus Actori sua Instrumenta edere teneatur, ad fundandam ejus inten-

tionem; quæri potest, & dicendum, non teneri illi edere ea, quæ sibi propria sunt, seu, quæ suis sumptibus redemit. Secus, si sint communia, v. g. communibus sumptibus confecta, vel Testamenta inter Hæredes & Legatarios, quorum nomine comparata sunt duo edicta.

Ut vero intelligatur plenius, quando Instrumentum alicui tertio edendum sit, vel non; sciendum est, quod editio Instrumentorum ei non sit decernenda, qui non mandavit per se, vel per alium illud confici, nec successit in locum Mandantis.

Fallit autem. Primo, si interest ejus, qui petit sibi edi Instrumentum: tunc enim potest, vel per edictum de edendo, vel actione in factum subsidiariâ illius editionem petere, licet mandato ejus non sit confectum: quia Instrumentum est pars probationis, & ideo; sicut Testis cogitur testimonium dicere pro Tertio; ita & Instrumentum edi tertio debet, quando ipsius Tertij edi interest: modo tamen Judici de tali interesse constet summarie.

Secundo fallit, si à Magistratu petatur editio alicujus statuti ab unâ parte in Judicio allegati, & ab alterâ negati: nam, cum tale statutum sit Jus publicum, & proprium loci, ubi

bi illud servatur, &, per consequens, omnibus commune, nemini denegandum est; sed edi debet, utique Capitulum allegatum, non vero totus statutorum liber.

Fallit Tertio in Procuratore Fisci, quo ad causas civiles Exemptionum & Contributionum, idque favore speciali Fisci & Reipubl.

Quarto in usurarijs, qui tenentur codicem rationum edere. Idem dicendum de Publicanis, Cauponibus, Stabularijs, & similibus, fraudem in contractibus committere solitis.

Instrumenti, cum sit stricti Juris interpretatio sumi debet ex verbis, ita ut, quod non dicit Instrumentum, nec nos dicere debeamus, neque extendi possit extra ea, de quibus fuit rogatus Notarius, & quibus ipse interfuit.

Et quemadmodum Instrumenta ijs tantum prosunt, qui nominantur, non Alijs: ita etiam non alijs obsunt, quam qui in ijs sunt nominati, neque contra alios probant, nec in præjudicium Tertij, iniquâ interpretatione extendi debent. Licet ad Successores vel Jutis, vel rei, etiam singulares extendantur, & contra hos, & pro his perque fidem faciant atque contra Auctorem, cujus jure utuntur.

§. XVI.

§. XVI.

De Iurejurando.

PEr Jusjurandum, delatum ac relatum sive à parte parti, sive à Judice, nonnunquam etiam rei dubiæ fides inducitur, alijs legitimis probationibus deficientibus, estque maximum litium expediendarum remedium.

Juramentum dicitur â Jure, quia quod juratur, instar juris habendum est, & sancte servandum, *Et nihil est aliud, quam attestatio seu invocatio divini Numinis, in testimonium ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam.*

Ad ejus Validitatem inprimis requiritur intentio jurandi, seu Deum in testem vocandi. Secundo requiritur locutio, saltem interior, quâ Deus vocetur in testem. Tertio ut sit licitum, & tres, ut vocant, comites habeat, necesse est, scilicet Veritatem, Justitiam & Judicium. Requiritur Veritas, ut scilicet id quod asseritur vel negatur, sit verum, & quod promittitur, suo tempore impleatur: alioquin jurans esset perjurus. Requiritur Justitia, ut juretur id tantum, quod est licitum & honestum; alioquin contra bonos mores præstitum Juramentum, non est obligatorium, nec servandum, quinimo qui, quod turpiter ju-

rav-

ravit, adimpleret, duplici se crimine involveret.

Hinc igitur si, quod promittitur, sit illicitum, sive ex se, quia prohibitum, ut illud exequi sit malum, & peccatum seu mortale seu veniale, Juramentum promissorium, adjectum, non obligat. Et ideo, qui promisit latroni, se illum non denuntiaturum Judici, non obligatur eo casu, quo in contrarium esset, Superioris præceptum, aut denuntiationem exposceret, publica Utilitas vel salus Reipublicæ.

Requiritur Judicium, ut scilicet cum debita, & prudenti consideratione juretur, & tunc duntaxat, quando necessitas, juxta prudentis arbitrium, juramentum postulat,

Juramentum dividitur, in Assertorium, Promissorium, & comminatorium.

Assertorium est, quo aliquid affirmamus aut negamus esse, fuisse, aut futurum esse; Tale Juramentum est, quod præstare Testes solent in dicendo testimonio. Item quod præstat pars parti, ex delatione Judicis, vel partis, ad litem dirimendam, & vulgo Litis Decisorium vocatur. In hoc Juramento, una tantum veritas requiritur, nempe illa, quæ asseritur.

Promissorium est, quo sancte confirmamus, nostram promissionem, vel pollicitationem, seu

quod

quod aliquid promittendo, adhibemus, atque ita, per illud intendimus nos obligare ei, cui promittimus, ad faciendum id, quod promittimus. Et ideo, qui juratam promissionem, non implet, perjurus censetur.

Comminatorium est, quo rem aliquam, Deo ultori subjicimus, si non sit verum, quod juramus, seu quod fit per pœnæ imprecationem, quâ nos, vel aliam personam, devovemus pœnæ & vindictæ divinæ, si fallamus; ut dum dicimus, ita me Deus adjuvet.

Decisorij Juramenti, tres species assignari solent, nempe Juramentum Voluntarium, Iudiciale & Necessarium.

Voluntarium est, quod extra Iudicium Pars Parti defert, Dictum inde voluntarium, quod non nisi ex ejus, cui defertur voluntate suscipiatur, nisi forte inter partes convenerit. Et hoc parit exceptionem Reo. Si is juraverit, daturque etiam Successoribus tam in rem, quam in personam, Item fidejussoribus Rei competit, Actori vero, si ipse juravit, parit actionem in factum, vel actionem ex contractu, si de ipso contractu juratum fuerit.

Iudiciale Iuramentum est, quod in iudicio Parte Parti defertur approbante iudice: Non est autem necessarium, quia & libere suscipitur, & ab eo, cui delatum est, referri potest, ni-

si, &

si,& simul jusserit Judex præstari Juramentum: Alterum tamen facere cogitur, aut, inquam jurare, aut Juramentum referre, quando Judex illud detulit, nisi solvere malit. Nam: manifestæ turpitudinis, ac confessionis nota est, nolle nec jurare, nec Jusjurandum delatum referre, nisi forte subsit justa causa recusandi: Veluti, si quis, à te exigat Juramentum de facto alieno, quod juste ignoras, non teneris jurare, neque Juramentum tibi delatum referre.

Similiter actor, qui plene probavit suam intentionem, non tenetur Juramentum, sibi à reo delatum, præstare vel referre, simili modo, si actio proposita sit talis, qua Reus conveniri non possit, non tenetur Reus præstare Juramentum, ab Actore sibi delatum, vel illud referre.

Quod si vero, Juramentum delatum referatur, necessariò præstandum erit ab eo, qui detulit: alias, vel super Principali causa, ulterius non audietur, vel auxilio provocationis secluso, super ea convictus censebitur. Excipiuntur tamen aliqui casus, quibus Juramentum delatum, referri non potest: Veluti si is, qui offert, ignarus sit rei gestæ; Si ex abundanti illud delatum sit;

Injurandum Necessarium est, quod in causa

sa dubia, à Iudice defertur Reo vel Actori, propter defectum plenæ probationis. Dicitur Necessariũ, tum quia à Judice necessario deferendum, si partes petant, tum etiam quia ab eo cui delatum est, necessario subeundum, alias enim tanquam confessus omni etiam provocationis auxilio excluso, condemnari potest, nisi & hic, subsit justa causa recusationis, veluti si Actore plene probante, Reo nihil, Judex illud Actori deferat. Defert autem, hoc Juramentum Iudex, Actori vel Reo, prout viderit, inspectis personarum & causæ circumstantijs, aut præsumptionibus, magis expedire, ideoque, Si actor minus quam semiplenè, probaverit suam intentionem, non nisi Reo ad Suspicionem, adversus se conceptam propulsandam, & purgandam, deferri poterit.

Quæritur in quibus causis, sit locus Juramento suppletivo probationis?

REspondeo, habere locum, quacunque actione quis conveniatur, sive in personam, sive in rem, sive in factum, sive pœnali actione, vel quavis alia, sive etiam de interdicto, Unde dicitur in bonæ fidei contractibus, nec non in cæteris causis, inopia Probationum, per Iudicem, Iurejurando causâ cognitâ, res decidi oportere; in Civilibus

bus scilicet causis, ijsque non arduis, nec gravioribus; aut in Criminalibus civiliter intentatis.

Ex parte Rei tamen, in criminalibus indifferenter, sive civiliter, sive criminaliter intentatis, ad suam innocentiam purgandam, posse eidem deferri hujusmodi Iuramentum, verius videtur. Quoad delationem hujus Iuramenti, in causæ cognitionem venire debent. Cogni io personarum, Natura causæ, Quantitas rerum. & qualitas factorum? nam regulariter, in causis magnis & arduis, non defertur, nisi plus, quam semiplene probatum sit, qualis est causa Matrimonij.

Iuramenti Voluntarij & Iudicialis vis est, quod causa jurejurando decisa, non retractetur per instrumenta, postea de novo reperta, nisi specialiter hoc Lege excipiatur, aut nisi consensu litigatorum, occasione instrumentorum, de novo repertorum, efficiatur, ut alia sententia feratur, per quam prior, quæ in rem transivit judicatam, rescindatur.

Iurisjurandi necessarij, vis & effectus est, quod ejus prætextu valeat Iudex, confestim causam decidere, & Sententiam definitivam, vel absolvendo vel condemnando reum ferre, ita tamen quod Sententia, licet in rem judicatam transiverit, rescindi possit prætextu novo-

novorum instrumentorum, modo per ea Iuramentum Necessarium, quod Sententiæ latæ causam dedit, falso præstitum fuisse, plene & sine alterius adminiculo probetur. Pari modo talis Sententia per novos testes, non productos antea, rescindi potest, quia testes appellatione instrumentorum continentur.

Præterea supradictorum Iuramentorum, ea vis est, quod ad rei judicatæ exemplum, ex eis Actori juranti, Prætoria in factum actio acquiratur ad consequendum id, quod sibi deberi juravit, Neque in hac actione quæritur, an debeatur id, quod petitur, sed an juratum sit Reo vero ex hujusmodi Iuramento v.g. Si juraverit se non debere, quod petitur, non actio, sed exceptio acquiritur, ad Actoris intentionem, etiam ante litis contestationem, seu ingressum perimendum.

Iuramenti Promissorij effectus, imprimis est, inducere obligationem ad sui observationem, dummodo Verâ, & Seriâ atque absoluti intentione, sit emissum, & reliqua adsint ad validitatem ejus requisita, licet etiam, emittens ex eo obligari nolit. Quia talis obligatio, non pendet directè & proximè, á voluntate & intentione jurantis, Sed tantum remote, & immediate, provenit ex Iuramento, vel alio actu, ad quem necessario sequitur,

Dis-

Dixi absoluta intentione emissum; quia si conditionata fuerit. tunc, sicut suspendit consensum, ita etiam consequenter effectum, seu obligationem, donec adveniat & existat conditio.

Secundus effectus est, confirmare ipsam Promissionem, vel pollicitationem, & aliquando etiam contractum. Nam, quando contractus firmatur Iuramento, cum jam sit Ius Parti quæsitum, non licet amplius, contravenire contractui, ut peti possit absolutio nec facta solutione detur repetitio, sed contractus maneat omnino firmus, & irrevocabilis.

Quando vero, Iuramentum est servandum, ob Dei honorem, tunc relaxatio libere peti potest. plura de Iuramento in Nucleo meo de Iure & Iustitia Cap. 40. quo remitto.

§. XVII.

De Exceptionibus.

Exceptio est actionis vel intentionis agentis exclusio. Ea in genere, vel est facti, seu intentionis, vel Iuris.

Facti seu intentionis est, quæ actoris nullo jure agentis, intentionem excludit. v. g. ejus qui agit ex mutuo, nec unquam mutuum dedit, vel, si dederit exsolutum est.

Exceptio Iuris est, qua Actoris Ius, id est actionem, ei ipso Iure competentem, excludit, quia ob aliquam injustam causam, iniquum esset, Reum eo nomine condemnari, ut v.g. ejus qui ex promissione, metu, dolove malo impellente, sibi facta, ad id, quod promissum est, agit metu, cadente in constantem virum, qualis est metus Mortis, vel amissionis majoris partis bonorum, Exceptionum Iuris aliæ sunt, Dilatoriæ, & temporales, aliæ Peremptoriæ & perpetuæ.

Dilatoriæ sunt, quæ principale negotium, ejusque cognitionem & Iudicium, ad tempus differunt, neque omnino actionem excludunt, Propterea Actor illas evitare potest, respiciuntque incidentes quæstiones, ac præparatoria Iudiciorum Harum vero Exceptionum quædam personam respiciunt Iudicis, quia scilicet sit incompetens, aut suspectus, propter cognitionem, affinitatem, necessitudinem domesticam aut familiaritatem, qua actorem contingit, quia inimicitias habet cum Reo, quia imperitus sit Iuris, aut impar magnitudini causæ, vel, quia in eadem causa, Advocatum egerit, vel ejusdem ferè generis litem habeat, vel ob aliam justam causam, quæ merito movet suspicionem Reo.

Dilatoriæ (quæ non sunt Declinatoriæ) regu-

regulariter, ante litem contestatam intra terminum, à Judice assignatum, proponendæ sunt, nisi demum, post litem contestatam vel elapsum tempus, exortæ fuerint, aut ad notitiam suam perveniſſe, Reus Jurejurando affirmet, vel talis sit exceptio, quæ retroactũ processum reddat nullum; cujusmodi est, quæ vel mandati vel Jurisdictionis defectum arguit.

Exceptiones Peremptoriæ sunt, quæ Ius Actoris perimunt, & semper agentibus obstant. Ut Exceptio doli mali, metus, pacti conventi de non petendo seu perpetui, transactionis, solutionis, jurisjurandi, præscriptionis, reijudicatæ, Senatuscon. Velleiani, Macedoniani, & si quid aliter, contra leges factum esse dicatur.

Hæ autem Exceptiones perpetuæ & peremptoriæ, ante & post litis contestationem, usque ad sententiam proponi possunt. Et hæc quidem, quæ de Exceptionibus dicta sunt, nonnunquam contrarijs Exceptionibus, rursus ab Actore retunduntur, nam uti actionem excludit, aut elidit, Exceptio Rei, ita exceptionem Rei exceptio Actoris, quæ proprie vocatur Replicatio, quasi per eam replicetur, id est, resolvatur Reiexceptio; quod si & hæc, rursus alia exceptione, à reo impug-

pugnetur, vocatur duplicatio, & contra hanc solet dari triplicatio, contra triplicationem iterum Quadruplicatio, & ita deinceps, multiplicatis nominibus, donec concluſione diſputationi partium finis imponatur. Hæc autem multiplicatio, de Jure Canonico, non admittitur, ſaltem quoad teſtes antea productos, quos tertio refutare non licet, ne nimium extrahatur Judicium.

§. XVIII.

De Sententia & re judicata.

Sententia hic eſt ipſa pronunciatio, ſeu definitio Iudicis, finem controverſiæ imponens, Res vero judicata eſt ipſa cauſa controverſa, qua finem controverſiæ pronunciatione Iudicis accepit, vel abſolutione, vel condemnatione, Sententiarum alia eſt definitiva, alia Interlocutoria, *Definitiva eſt Sententia Iudicis, qua principalem cauſam ſeu controverſiam, definit ac terminat, abſolvendo vel condemnando, Sententia Interlocutoria proprie dicitur, quæ inter principium & finem cauſæ, ſuper aliquo incidenti vel emergenti profertur.*

Sententia Interlocutoria dividitur in Interlocutoriam meram, & Interlocutoriam, quæ habet vim Sententiæ Definitivæ. Mere Interlocutoria eſt, quæ neque inſtantiæ neque negotio principali, nec etiam articulo

substantiali negotij principalis finem imponit, seu quæ quo ad id super quo fertur, non parit præjudicium irreparabile, nec, quantum est ex se, facit cessare officium Judicis, sed potest ab eodem Judice revocari. Talis est qua defert Appellationi, licet hæc non possit revocari, quia id fit ex eo, quod *Iudex* deferendo Appellationi, abdicet à se omnem Jurisdictionem. Talis quoque est, omnis pronunciatio Judicis post Definitivam, quia finito negotio, nihil quoad illud supereſt definiendum.

Sententia Interlocutoria, vim Definitivæ habens, dicitur, quæ quoad id, super quo fertur, parit præjudicium irreparabile, per definitivam, vel Appellationem à Definitiva, & postquam non expectatur alia Sententia super eo, super quo lata est, seu quæ causam principalem non definit, sed unam partem substantialem, negotij principalis: Et post se aliam Sententiam expectat, quæ toti causæ finem imponat, Talis est, quâ pronunciatur causa deserta. Item præceptum de solvendo: & omnis Sententia, quæ definit, unum articulum substantialem negotij principalis: Ut si Judex minorem, petentem restitui in integrum, pronunciet non esse minorem. si admittat vel rejicit exceptionem Peremptoriam

riam; insuper omnis Interlocutoria, quæ continet aliquid dari vel fieri. allegatis & prolatis hinc inde, tam ex parte Actoris, quam ex parte Rei, omnibus, quæ ad suam causam, & intentionem spectare judicaverint Judex ex officio suo mercenario, litigatores interrogare solet, an aliquid aliud, ad intentionis suæ probationem allegare velint, Quod si se allegare velle dixerint, audientur Et Judex competentem terminum statuet, intra quem illud allegent, quia Judex nequit ferre sententiam, nisi omnibus auditis, quæ litigatores utrimque ptoducere & allegare volunt, si vero dixerint, se nihil aliud proponendum habere, jubebit eos utrimque ulterioribus probationibus renunciare, & in causa concludere, eaque renunciatio & conclusio, confestim in actis inseritur, nec postea ulla vel allegatio vel probatio, vel exceptio admittitur. Indeque Judex, ad causæ principalis decisionem, se accinget, & allatis ac probatis omnibus, diligenter & mature discussis, atq; examinatis, curabit citari utrumque litigantium, ut certo die compareat, ad audiendum Jus dici & sententiam ferri. Alioquin contra absentem, non citatum, lata sententia est nulla, itaque die dicto, præsentibus litigatoribus, seu eorum procuratoribus vel

vel etiam absentibus (dummodo legitime citati fuerint, & in assignatione diei dictum, quod sive comparuerint, sive non, ad sententiam ferendam procedetur) Judex ipse pro tribunali sedens, & justitiam æquitatemque, ac solum Deum præ oculis habens, Christi nomine invocato (prout semper in principio sententiæ invocari debet) Sententiam in scripto, secundum eum, qui justiorem causam sustinuerit, feret, & finem controversiæ principali imponet. Debet autem Judex recitare sententiam in loco publico, & majorum suorum, si sit ordinarius, qui certam sedem habet.

Sententia quoque de scripto recitari debet ut sit valida. Excipiuntur tamen leves causæ seu lites, maxime vilium personarum, & causarum, in quibus non est opus ferri sententiam scripto, Item causa matrimonialis, idq; speciali favore matrimonij & liberorum.

Insuper ferri debet servato Juris ordine, alias nulla est, ideoque ferri debet lite contestata, auditis utrimque probationibus, causaque plene cognita, alias non valet; Et in eo distinguitur, ab Interlocutoria, Præterea, secundum allegata & probata; ferenda erit sententia, non secundum scientiam privatam; Item secundum legum præscripta: nam sen-

ten-

tentia lata contra leges aut canones, si continet Juris errorem expressum, est ipso Jure nulla. Quod si vero judex secutus falsa testimonia vel instrumenta, sententiam tulerit, etiam Jure valebit, sed per restitutionem in integrum & ex integro de causa agi poterit.

Ad hæc ferri debet Sententia, tempore congruo, & quidem in criminalibus, intra duos annos, à contestatione litis numerandos; aliàs, lapsa biennij, instantia accusatoris perit, & accusator punitur. In civilibus autem, intra triennium, à contestatione litis numerandum, alias triennij lapsu, judicij instantia extinguitur, licet Jus Canonicum, quod à quolibet justo gravamine, prius admiserat appellationem, noluerit instantiam lapsu triennij perire. Præterea, ferri debet, die non feriata, sed juridica; alias non tenet, sive feriæ sint indictæ in honorem Dei, sive ob hominum necessitatem, sive sint repentinæ sive non.

Potest etiam Sententia ferri dilatione pendente, alias est nulla, semperque continere debet condemnationem vel absolutionem, expresse vel virtualiter, alias vel aliter non valet; potest tamen eadem Sententia, & Absolutionem, & Condemnationem continere, respectu diversorum articulorum; causam

sam vero condemnationis vel absolutionis, regulariter exprimi non oportet, neque consuetum est exprimi, quia ea probata, falsa, sententia esset ipso jure nulla, quæ non expressa causa, præsumitur rite & legitime, secundum causas ex actis apparentes lata; denique incumbit Judici regulariter, victum tanquam temerarium litigatorem, condemnare in expensas, tam in civilibus quam in criminalibus.

Finis, & effectus sententiæ Definitivæ, inprimis est, finire litem, & finire potestatem judicis, quia is, posteaquam semel sententiam dixit, quoad eam causam desinit esse judex, & ideo sententiam semel latam, non potest mutare, emendare, corrigere, revocare, nec, in ea, reservare sibi condemnationem in expensas, quia jam functus est officio, nec potest pro parte decidere, pro parte non. Secundo facit Jus inter partes, inter quas lata est, ubi in rem transiverit judicatam, id est, ubi intra decem dies, à die prolationis, vel scientiæ ab ea non fuerit appellatum, aut appellatio fuerit deserta, quia tum pro veritate habetur, idque præsumptione juris & de jure: licet contra jus litigatoris lata fuerit. Tertius effectus est, producere actori, pro quo lata est, actionem judicati sive rei judi-

catæ, ut præstet reus id, in quo condemnatus est, satisfaciatque Sententiæ; Estque civilis ea actio, descendens ex Lege XII. Tabularum, personalis, perpetua, & rei persecutoria hæredi & in hæredem competens, Reo vero per sententiam absoluto, producit exceptionem rei judicatæ, contra Actorem ejusque hæredem, vel alium ejus nomine agentem, nisi forte, nunc ab intestato conveniatur, qui ante, ex testamento conveniebatur.

Denique Sententia semel lata, non rescinditur, prætextu Instrumentorum de novo repertorum, vel aliarum probationum, nisi lata sit ex præsumptionibus, aut ex opinione peritorum, in aliqua arte, aut in causa Matrimoniali, alijsque causis exceptis, nec item ratione erroris in calculo, seu computatione, nisi error calculi in Sententia exprimatur; solutum quoque rei judicatæ auctoritate, non repetitur tanquam indebitum.

§. XIX.

De Appellationibus.

QUia Sententia subinde fertur, contra Jus alterius litigantium, sive per imperitiam judicis, sive, quia litigator, non satis jus suum deduxerit & probaverit; ideo necessarium fuit ut introduceretur appellandi usus, nam per Appellationem effectus Sententiæ

tentiæ impeditur, quæ alias transiret in rem judicatam.

Est autem Appellatio hoc loco, ab inferiore judice, ad superiorem facta provocatio, ratione gravaminis illati vel inferendi. Et est duplex, Judicialis, quæ proprie & stricte, dicitur Appellatio, & Extrajudicialis, Hæc dicitur Appellatio, late sumpta: Illa est, à sententia, sive Definitiva, sive Interlocutoria ut ea corrigatur; hæc autem ab actibus, & decretis Extrajudicialibus, ut dum appellatur ab Electione, spoliatione, & similibus; & solet dici, provocatio ad causam, & habet vim conventionis ideoque fieri debet ad judicem ordinarium, coram quo citandus & vocandus esset adversarius pro lite, dum est litigandum, via ordinaria, nec unquam suspendit executionem, nec causat attentata. Rursus Extrajudicialis est duplex: aut enim non à Judice, sed à parte, Extra judicium appellatur, vel à judice extrajudicialiter procedente.

Appellationum sive Judicialium, sive Extrajudicialum, aliæ sunt rationabiles, & justæ seu legitimæ, aliæ frustratoriæ, frivolæ, inanes, & leves. Frustratoriæ sunt, ut quæ morandæ solutionis, vel suspendendi judicij causa, interponuntur, Frivolæ autem, & leves quæ pro minimis rebus interjiciuntur,

quæ-

quæque ut tales & temerariæ rejiciuntur.

Appellare potest non solum is, qui condemnatus est, nomine suo sive alieno, veluti procuratorio, tutorio, modo non sit condemnatus vere contumax, sed etiam quilibet alius, cujus interest, licet condemnatus non sit, hinc enim humanitatis ratione, receptum est, ut pro damnato ad supplicium, provocare quilibet possit.

Quod si unus è pluribus appellaverit, & causa sit communis, & una eademque omnium defensio, appellatio ejus etiam proderit alijs, qui non appellaverint, quod obtinet etiam in causis criminalibus, licet aliud obtineat in beneficio restitutionis, in quo unius restitutio alteri non prodest.

Sed & Domini appellatio subito prodest, si subditi saltem per consequentiam interest.

Ut autem Procurator possit appellare, debet habere mandatum, saltem generale, hocque sufficit, cum appellatio sit de prosecutione primæ Instantiæ, & ideo tenetur quoque appellare, & appellationem à se interpositam, denunciare Domino illis casibus quibus prosequi non tenetur. Quemadmodum vero, quilibet gravatus, & cujus interest, potest appellare, ita è diverso, non gravatus, & cujus non interest, non appellat quia

gra-

gravamen est causa Appellationis, quo proinde cessante, cessat appellatio, Hinc ob veram contumaciam condemnatus, non appellat, quia non dicitur is gravatus. Similiter nec notorius delinquens, seu confessus & convictus, quia non dicitur quoque gravatus. Sed & frivole appellans audiri non debet, quia gravatus non sit, sed alium gravare studeat, unde etiam mulctari vel excommunicari potest.

Regulariter, appellari potest, ab omnibus Judicibus, qui sententiam tulerunt, sive sint ordinarii sive delegati, cum enim, Appellatio habeat Naturam defensionis, debet omnibus regulariter esse permissa, nec facit Judici injuriam, qui ab ejus sententia appellat,

Fallit autem hæc regula, primo, in Principe, non recognoscente superiorem, nisi ad aliorum relationem pronunciaverit, aut ab eo male informato ad melius informandum appelletur. Secundo fallit in supremis conciliis. Tertio in Episcopo cujus Jurisdictio est prorogata.

Quarto in delegato à principe cum clausula, remota Appellatione: quæ tamen clausula, de frivola & levi, non etiam de gravi, & legitima Appellatione intelligi debet.

Quinto in arbitro, nisi fuerit arbiter Juris, ut ante diximus. Denique in Judice, qui revocavit gravamen, quod fuerat comminatus, nisi alio modo sit suspectus.

Regulariter appellari potest, à quacunque sententia, & in quibuscunque causis, seu casibus, sive civilibus, sive criminalibus, hoc tamen discrimine, inter Jus Civile & Canonicum, quod Jure Civili, tantum permittatur. Appellatio, à sententia Definitiva. & quidem valida: nam ab invalidis, cum ipso Jure, nullæ sint, frustra appellatur. Ab Interlocutoria autem, hoc Jure appellare non licet, nisi certis casibus, quibus scilicet Interlocutoria habet vim definitivæ, & continet gravamen, quod per sententiam definitivam, vel Appellationem ab ea, reparari non possit.

At vero Jure Canonico, ab omni Interlocutoria. & omni gravamine, etiam Extrajudiciali, illato vel inferendo, appellare licet, quia Appellatio est species defensionis, & in præsidium innocentiæ comparata, & Jus Canonicum, omnem iniquitatem corrigi statim cupit, nec vult differri in sententiam definitivam; quæ sæpe, multo post tempore sequitur.

Cæterum Concilium Trid. sess. 24. cap.

cap. 20. de reformat. & sess. 13. cap. 1. de reformat. non aliter permittit appellari, ab Interlocutoria, quam si vim definitivæ habeat, & gravamen contineat irreparabile, cujusmodi est incarceratio, tortura, excommunicatio, suspensio, interdictum, omnisque actus irretractabilis, & quo, executioni mandato, pars gravata, amplius sublevari non potest per definitivam, aut appellationem à definitiva, vel non sine difficultate, & præjudicio partis aut negotii principalis.

Secundo verus contumax non appellat, quia appellatio datur, oppresso & gravato à Judice, non autem ei qui Judici est rebellis, uti est verus contumax.

Tertio, confessus, & simul convictus, non appellat, si utique sponte sua confessus, & clara probatione convictus sit, non vero si per tormenta sit confessus, aut dubia probatione convictus, aut si confessus fuerit, & non convictus, vel contra: nam tum appellare posset, quia illa duo, copulative requiruntur, de Jure non tantum civili, sed & Canonico, tam in civilibus quam in criminalibus.

Quarto: non appellatur in factis notoriis,

nisi, in appellatione, inseratur causa rationalis, quia constat, Reum de crimine notorio condemnatum, Si appellet, tantum appellare, differendæ pœnæ causa; Quod admitti non debet, cum Appellatio, non sit remedium, ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ constitutum.

Quinto: condemnatus de crimine falsæ monetæ, aut hæresis, aut de raptu virginis, in quibus tamen criminibus appellari potest ante sententiam.

Sexto: condemnatus pro debito publico seu fiscali.

Septimo: officialis alicujus Judicis, pro gestis in officio condemnatus à suo Judice, non appellat.

Octavo; non appellatur, à sententia lata, in causa decimarum, nec item de Jure civili, â sententia, lata in causa possessorii, quando scilicet, causa est modici præjudicii; cujusmodi est Judicium spoliationis, quod summarie, & veluti in momento, expediri consuevit, & hoc, quoad effectum, retardandæ executionis; alioquin valet Appellatio, quo ad effectum devolutivum. Similiter de Jure civili non appellatur, in causis minimis & brevioribus; Secus de Jure Canonico.

Nono; non appellat quis, ab eo actu, qui pro-

probavit; Similiter non appellat, qui renunciavit appellationi suæ, sive expresse sive tacite, ut renunciare potest, uti quando accipit terminum ad solvendum.

Decimo: non appellatur, in causis requirentibus celeritatem, saltem ad impediendam executionem; nec ubi agitur de regularis disciplinæ correctione.

Undecimo: non appellatur à nominatione ad munera, auctoritate publica, & utilitate privata V.G. ad tutelam.

Duodecimo: non etiam ab actu, qui fit Secundum Juris dispositionem, nisi expressâ & insertâ rationabili causâ ob quam admitti debeat Appellatio.

Denique, non appellatur, in causis commissis cum clausula: Appellatione remotâ; quia clausula, quoad Appellationem à definitiva solus Princeps in scriptis suis uti potest. nec item à sententia excommunicationis, jam lata, saltem ad effectum retardandæ executionis, nec insuper à monitione & mandato, de residendo in Ecclesia, quam quis obtinet.

Notandum postremo: quod in omnibus casibus, in quibus non potest appellari, à sententia definitiva, possit appellari ab Interlocutoria, quia ejus gravamen non speratur posse

posse reparari, per Appellationem à defi-
tiva.

Appellandum, sive Judicialiter, sive ex-
trajudicialiter, coram Judice qui sententiam
tulit, & à quo appellatur, quia illi debet in-
notescere Appellatio, ad hoc, ut ulterius non
procedat, & si processerit, revocentur per
eum acta, tanquam attentata. Si vero coram
Judice à quo præsente, quis ob justum me-
tum, appellare non audeat, protestatione su-
per hoc interpositâ, & causis Appellationis
saltem in genere expressis, coram probis vi-
ris, vel coram Notario & testibus, etiam ex-
trajudicialiter, appellare potest, vel adire Ju-
dicem ad quem, porrigendo ei Appellationis
suram. Quis autem dicitur metus justus, re-
linquitur Judicis arbitrio: Quando vero, Ap-
pellatio interponitur absente Judice, & Par-
te, debet ob absentiam, quia scilicet copia
eorum haberi non possit, Appellatio, coram
superiore Judice, vel honestis personis inter-
posita, utraque & Judici, & parti intimari, ad
hoc, ut suspendatur Jurisdictio Judicis a
Quo; nisi aliter ad eorum notitiam perve-
nerit, sin autem, interposita sit, in absentia
Judicis, propter ejus metum, non est necesse
ipsi intimari: quia sicut metus justus, excu-
sat ab Appellatione, coram eo facienda, ita &
ab

ab intimatione Appellationis eidem facienda. Similiter, si appelletur extrajudicialiter, in absentia adversarii, debet intra mensem, ei vel ejus procuratori intimari.

Appellandum est, à Judice inferiore, qui sententiam tulit, ad ejus superiorem, & quidem gradatim, ad proximum & immediatum, non autem, ad alium sive æqualem, sive superiorem, non proximum. Dixi, & quidem gradatim ad proximum, quia confundi Jurisdictiones; non debent, idque adeo obtinet Jure Civili, ut ne quidem ad Imperatorem seu principem, omisso medio Judice, liceat appellare. Dico Jure civili, quia Jure Pontificio, à quolibet inferiore Judice, in causis fori Ecclesiastici, vel etiam sæcularis, quoad eos, qui subsunt temporali Jurisdictioni Ecclesiæ, vel Summum Pontificem immediatè, omissis intermediis Judicibus, appellare licet. Sicut & ad Legatum, de Latere, in Provincia sibi decreta existentem. Alias, regulariter etiam. Jure Canonico, oportet gradatim appellare, ad proximum Superiorem, nisi forte consuetudo loci (quæ Jurisdictionem tribuit) aliud ferat.

Intellige tamen, Appellationem ad alium, quam ad immediatum Superiorem, non subsistere

sistere de Jure Civili, si contra eam excip
tur, alias valebit.

Denique, si per errorem, quis ad alium
dicem, quam debuit, provocaverit, disti
guendum. nam, si ad alium majorem, pro
caverit, error ei non nocebit; secus si ad
norem.

Circa Appellationem, tria potissimu
considerantur tempora, nempe tempus i
terponendæ Appellationis, tempus pete
Apostolos, & tempus prosequendæ ac fini
dæ Appellationis; & hæc tempora, voca
tur tempora fatalia Appellationis, quia
intra ea, respective interponantur Appell
tio, petantur Apostoli, & fiat prosecutio Ap
pellationis, ejusque causa terminetur,
elapsis Appellatio efficitur deserta & qu
moritur, aut fato quodam extinguitur.

Quantum ad primum tempus attinet, ho
die ex Justiniani constitutione, appellari de
bet intra decendium, id est decem dies, à d
latæ sententiæ, vel certe à die scientiæ, qu
sententiam latam esse intellexerit, ille qui ap
pellare velit, idque obtinet, sive à definitiv
sive ab Interlocutoria, sive ab alio gravam
ne, etiam extrajudiciali appelletur, sine d
crimine propriæ aut alienæ causæ, licet etia
sententia sit sub conditione lata; Atque ho
tem

tempus etiam locum habet, in ſupplicationibus, neque ex Judicis permiſſione, aut partiũ conſenſu prorogari poteſt, licet valeat ſtatutum, vel ſtylus illud augens vel diminuens. Currit autem, ſecundum Jus commune, de momento ad momentum, à die latæ ſententiæ vel ſcientiæ, ita autem, ut ab initio ſit utile, quia non currit impedito, vel ignoranti, niſi ſit, vere contumax; ſed poſtmodum efficitur continuum, ita ut etiam feriæ ſolennes includantur, & ſi infra hoc tempus, non appelletur, ſententia tranſit in rem judicatam, & Appellatio efficitur deſerta Nec ſufficit appellanti, ſi probet ſe appellaſſe, niſi probet etiam, ſe intra debitum tempus appellaſſe.

Quod autem dixi, appellandum eſſe, intra decem dies à die latæ ſententiæ, vel ſcientiæ, illud obtinet, quando gravamen eſt momentaneum, ſecus quando tractum ſucceſſivum, & cauſam habet continuam, cujuſmodi eſt incarceratio, excommunicatio, interdictum, nam tunc, quamdiu durat, ſine præfinitione temporis, quaſi à præſenti & continuo gravamine, appellare licet, ſic incarceratus ſemper appellare poteſt etiam ultra menſes, quia ſemper gravatur. Hoc tamen, non procederet, ſi Judex eſſet interlocutus, illum fuiſſe juſte carceratum, quia tunc intra decem dies,

à die

à die Interlocutionis, appellandum esset; alias sententia transiret in rem judicatam, ne ulterius appellare liceret.

Ita interponenda est Appellatio, ut dein interposita, appareat, non tamen, est necess illam præsentare Judici, sedenti pro tribuna li, sed potest ubique præsentari, ad hoc, ut sententia non transeat in rem judicatam, imo sufficit illam præsentare actorem magistr seu Notario absque Judice. Nomen vero Ju dicis ad quem, licet non exprimatur, tamen censetur provocatum ad eum, ad quem de Jure provocari debet, & ideo hujusmod Appellatio generalis, etiam de Jure Canoni co subsistit.

A Definitiva potest statim à lata sententi appellari viva voce, quod dicant illico ap pellare, sufficitque dicere Appello, hoc scri bi in actis per notarium. Statim, inquam, à la ta sententia id est Judice sedente adhuc pro tribunali. Si vero non fuerit in continenti v va voce Appellatum, debet scripto interpon appellatio, exceptis causis brevioribus, in quibus potest appellari viva voce, & debet in Appellatione scripto interposita inse hæc verba, Provoco & Appello.

In Interlocutoria vero, sive statim, & in continenti, sive ex intervallo appelletur, sem

Judex
semper
tio, qu
tamen
appella
cutoria
tinenti
omnes
Appell
tur.
Præt
Defini
mittat
pressio
pellans
injusta
præter
in casib
tis.
At v
ria, req
sæ, cor
ac pro
causa r
vat co
benefi
to, pri
si neg

Judice ad huc pro tribunali sedente, sive nō, semper in scriptis porrecto libello appellatorio, qui contineat nomen Appellantis non tamen necessario nomen ejus contra quem appellandum est. Si tamen sententia Interlocutoria habeat vim Definitivæ, potest incontinenti viva voce ab ea appellari, quia in eo omnes solemnitates servari debent, quæ in Appellatione à Definitiva, cui æquiparatur.

Præterea in Appellatione à Definitiva, vel Definitivæ vim habente, cum jus ipsum permittat Appellationem, non requiritur expressio causæ in specie sed sufficit, quod appellans dicat se gravatum, & sententiam esse injustam, nisi appellans sit tertius aliquis, prætendens aliquod interesse, aut appelletur in casibus à Jure vel ab homine prohibitis.

At vero in Appellatione ab interlocutoria, requiritur expressio gravaminis, seu causæ, coram eodem Judice, & quidem legitimæ ac probabilis, atque in specie. Dicitur autem causa rationabilis, quandocunque Judex gravat contra Jus scriptum, vel denegat Juris beneficium, ut si neget restitutionem spoliato, priusquam de proprietate cognoscat, vel si neget quartam productionem testium cū

solem-

solemnitate legali, vel non admittat recu
tionem, propter affinitatem, consanguini
tem; Et generaliter, ubi non admittun
legitimæ Exceptiones. Rursus Appellatio
Definitiva, potest ex novis actis seu causis
probationibus justificari. Appellatio vero
interlocutoria justificanda est ex antiquis
actis.

Denique in Interlocutoria, Judex àqu
nisi detulerit Appellationi, aut continen
gravamen irreparabile, procedit, donec
parte legitime citatà, sit inhibitum, per Jud
cem ad quem, valetque processus, etiam ab
que ulteriori citatione Appellantis: ex qu
appellando videtur se facere contumacem
declarare, quod non velit comparere, ne
potest Judex ad quem, inhibere Judici àqu
ulteriorem progressum, prius quam conste
terit, legitime fuisse appellatum. At pende
te Appellatione à sententia definitiva nih
innovandum est, quia statim atque interpo
sita est, ligat manum Judicis à Quo, idqu
obtinet etiam ante interpositam appellatio
nem intra decem dies.

Apostoli (qui etiam sunt pars appellatio
nis) hoc loco, dicuntur literæ dimissoriæ
quas Judex, à quo appellatum est, transmi
tit ad Judicem ad quem, appellatum est

testimonium & fidem, Appellationis interpositæ. Dicuntur dimissoriæ, quia per eas, causa transmittitur ad Judicem ad quem. Dicuntur autem Apostoli id est nuncii, quia mittuntur ad Judicem ad quem, ut de causa Appellationis instrui possit, sunt autem triplices Apostoli, in frequentiori usu, nempe Dimissorii Reverentiales, & Refutatorii.

Dimissorii sunt, literæ ad Judicem appellatum directæ, testificantes de Appellatione, coram Judice, à quo, vel honestis personis, interposita & admissa.

Reverentiales sunt quando non ob causæ Justitiam, sed solum ob reverentiam superioris, ad quem appellatur, Judex à quo defert Appellationi.

Refutatorii sunt, quibus Judex à Quo, significat Judici ad Quem, se non admisisse Appellationem; Quando autem Judex Appellationem rejicit, adjicere causam debet, alias, si recuset absque causa, punitur. Apostolis olim petendis & recipiendis ac Iudici ad Quem porrigendis præscripti erant quinque dies, At verò postea, præscripti sunt triginta dies, intra quos similiter instanter, & sæpius, saltem uno contextu peti debent: alioquin, si intra dictos triginta dies, Appellans Apostolos non petat, vel non recipiat,

censetur Appellationi renunciasse, & effi-
tur Appellatio deserta.

Verius autem est, dies hos currere, à d
scientiæ, quo quis sententiam latam esse i
tellexerit, & à quo habuit facultatem appe
landi, nisi Iudex à quo, breviorem termin
petendi Apostolos, statuerit Appellanti.

Regulariter Iudex à quo, tenetur cuilibe
Appellationi deferre, adeo ut si non defera
quando est interposita ex justa causa, puni
tur de Iure Civili pœnâ 30 librarum auri,
causa sit Civilis, si criminalis, arbitraria; Iu
vero Canonico, si Iudex non deferat Appe
lationi, ad Summum Pontificum interpo
tæ, ad ipsum Pontificem puniendus ma
debeat, sicut ad Imperatorem, qui Appel
tionem ad eum interpositam, in causa tum
civili, tum sriminali, non receperit.

Expectandus tamen, hac in re, est finis Ap
pellationis, ut non puniatur Iudex, qui reje
Appellationem, si Indicatum fuerit male ap
pellatum, fuisse, ut qui in exitu deprehend
tur, juste non detulisse.

Tempus introducendæ, & prosequend
Appellationis, de Iure communi, vel anno
est, vel ex causa biennium, à die interposit
Appellationis, quando, in Iudicio appellatur
aut ubi extrajudicialiter appellatur, vel ub

sententia nulla est lata, à die illati gravaminis : Permittitur autem Judici, ut brevius tempus, ad introducendam & prosequendã Appellationem præscribat, si velit, ita ut Appellatio, si Appellens intra tempus illud, non introduxerit & prosecutus fuerit, eandem, aliquo & qualicunque modo, efficiatur deserta, ac sententiæ atque judicio Judicis à Quo, stare compellatur, potestque Judex, lapso termino, à se præscripto, sententiam suam mandare executioni, etiam non expectato lapsu, termini Juris.

Ut vero Appellatus Appellanti, talem terminum præfigat, non permitritur, ne in illius sit potestate, Appellantem nimium coarctate, & adversario suo legem imponere. Ad finiendam tamen Appellationem, Judex terminum præscribere breviorem non potest.

At vero Judex ad Quem præfigere Appellanti terminum hujusmodi, ad prosequendam Appellationem nequit, quia habet terminum à Jure statutum: nisi, ubi periculum, ex nimia dilatione immineret, uti in causis spiritualibus Electionum, Postulationum, & aliis Beneficialibus; quæ cum causam aliquã publicam contineant, accelerari debent, sicut & causa matrimonialis Etsi Judex à Quo

simpliciter, prout fieri sæpe solet, præscripserit terminum, ad Appellationem prosequendam, sufficit qualitercumque prosequi, etiam per solam itineris arreptionem, vel per solam impetrationis rescripti actum. Quo ad effectum appellationis, *regula Iuris est, quod pendente decendio ad appellandum, aut etiam pendente appellatione, sive recepta sit, sive non, nihil possit innovari seu attentari in causa, sed omnia in eodem statu, in quo erant tempore appellationis deducenda vel introducta, Appellationem quamdiu de ea cognoscitur, manere debere*, & quidem si recepta sit, quia recepta est, si vero non sit recepta, ne ei præjudicium fiat, priusquam deliberatum fuerit, an recipienda sit, vel non, Deinde, quia Appellatio, Iurisdictionem Judicis à Quo suspendit, & quasi dormire facit, ideoque, si post appellationem à definitiva aliquid innovaverit, seu attentaverit Judex à Quo, illud inprimis, statim, omnia per Iudicem Appellationis remedio attentatorum, revocari, irritari seu cassari debet, nisi forte causa attentatorum, altiorem requirat indaginem, nec probari inconcinenti possit: nam tunc, principalem causam non suspendit, nec impedit, sed utramque simul prosequi oportet.

Si vero post Appellationem, ab Inter-

cutoria

sari deb

esse con

voluto

rit, ne p

remedi

in App

ciali, qu

innovar

liter lite

Hoc

tionem

in Iudic

directè

ciali ve

pellatio

Rati

dicialis

connex

totum

risdicti

cantur.

non su

judicia

duntax

nis, seu

Inst

cutoria. quid innovaverit, id revocari & cassari debet, ubi Appellationis veram causam esse constiterit, nisi Iudex Appellationis, devoluto ad se negotio, Iudici à Quo inhibuerit, ne procedat ulterius. Habet autem hoc remedium attentatorum locum, non tantum in Appellatione Iudiciali, sed & extrajudiciali, quia non solum prohibet Lex, aliquid innovari, pendente Appellatione, sed generaliter lite pendente.

Hoc tamen est discrimen, inter Appellationem Iudicialem, & extrajudicialem, quod in Iudiciali revocentur omnia, licet non sint directè contra Appellationem, in Extrajudiciali vero, ea quæ sunt directe contra Appellationem, & non alia.

Ratio differentiæ est, quod Appellatio Iudicialis, etiam in uno articulo, sive habeat connexitatem, cum tota causa, sive non, in totum & quoad totam causam, suspendat Iurisdictionem Iudicis, ideoque omnia revocantur. At vero Appellatio Extrajudicialis, non suspendit Iurisdictionem ex quo Extrajudicialiter proceditur, ideoque revocatur duntaxat, quod est in gravamen Appellationis, seu contra Appellationem.

Insuper, ut attentata in Iudiciali Appella-

tione revocentur, necesse est, quod Appell
tio, fuerit intimata Judici & parti: nam alio
Judex & pars, ignorantes Appellationem
possunt de Jure procedere in causa, nec revo
cantur tunc per eos attentata, secus in Extra
judiciali, in qua revocantur, licet non fuer
intimata Appellatio.

Potest autem peti revocatio attentatorum
in quacunque parte Judicii, usque ad con
clusionem in causa, non ultra, quod intellig
quo ad attentata ante conclusionem, nam se
cus obtinet in commissis post conclusio
nem.

Tametsi pendente Appellatione, nihil
innovandum, plurima tamen, tum Judici
tum etiam partibus, pendente Appellatione
permissa sunt, nam in primis utrique par
licet, non proposita proponere, & non pro
bata probare, atque exceptiones opponere
modo tamen, actionem & causam, coram
Iudice à quo propositam, respiciant, &
connexa sint. Secundo potest innovatio fie
ri contra tertium, etiam super eadem re, si n
hil interest appellantis, eam innovationem
fieri, vel non fieri. V.G. si ex duobus Reis de
bendi in solidum, unus conventus & condem
natus appellaverit, non obstante ea Appella
tione

tione, alias conveniri & adversus eum, Judex æque procedere potest.

Tertio: Ea attentari & innovari possunt, pendente Appellatione, quæ poterant fieri & innovari pendente causâ principali, quale est compellere litigantem ad cavendum, Hinc Possessor pendente Appellatione, commodo fruitur Possessionis, & recte Possessionem suam cõtinuat, nemoque ob contradictionẽ vel Appellationem alterius, fructu Possessionis suæ carere debet. Similiter Patronus, cui competit Ius præsentandi plures ad beneficium vacans, præsentato uno, potest secundum præsentare, non obstante appellatione: quia ante appellationem licita ei erat hujusmodi Præsentatio, nec debet hac facultate privari per appellationem prius præsentati.

Quarto: Si debitor qui appellavit, ex nova causa, factus sit suspectus de fugâ, potest, non obstante appellatione, capi à creditore, etiam propriâ auctoritate.

Quinto: Si appelletur à sentia Excommunicationis, vel alterius censuræ Ecclesiasticæ, veluti Interdicti & suspensionis, jam lata, potest Iudex à Quo, non obstante appellatione, denunciare & publicare appellantem, excommunicatum, ut ab aliis vitetur.

Similiter, Iudex potest Excommunicatum privare fructibus sui beneficii & distributionibus, quia ex quo exemptus est à communione Ecclesiæ, non debet ex fructibus ejus alimentari. Si appelletur à declaratoriâ, qua Iudex declaret, aliquem incidisse in sententiam excommunicationis, non potest, ea appellatione pendente, aliquid innovare.

Sexto: Si appellatio sit manifeste frivola, potest Iudex à Quo, dummodo ei non detulerit, procedere ad executionem sententiæ suæ; Sicut & iis casibus omnibus, quibus de Iure appellare non licet, vel ubi statuta & Iura concedunt paratam executionem, nisi in casibus ejusmodi prohibitis appellans, alleget justam aliquam causam, ob quam admitti debeat appellatio. Similiter appellatio in possessorio non retractat executionem Jure Civili, licet secus sit de Jure Canonico, Sic quoque in factis notoriis appellatio non suspendit executionem, ideoque dicitur, notoriè criminosum non esse audiendum.

Septimo. Si alicui mandatum sit, ut residеat in loco beneficii sui, & is appellet, potest Judex, non obstante appellatione, committere vices ejus alteri, qui interim de fructibus beneficii alatur.

§. 20.

DE RECUSATIONIBUS.

SEquitur de Recusationibus, quæ in multis conveniunt cum appellationibus, & à pari ferè procedunt, cum sicut per appellationem, ita & per Recusationem Judicis, suspendatur ejus Jurisdictio, nec possit in causâ in qua recusatur, ad aliquem actum procedere, & si processerit, processus sit nullus, nisi recusans post recusationem, consenserit in Judicem recusatum; vel coram eo comparuerit, nulla protestatione interjectâ, quod velit sibi salvam manere suam Recusationem.

Recusatio legitima sit necesse est, & legitime proposita, quia frivolam seu frustatoriam, potest Iudex recusatus contemnere, eaque contempta adversus recusantem, ulterius procedere, ad exemplum frivolæ seu frustratoriæ appellationis.

Cum vero exceptio Recusationis sit dilatoria, & simul declinatoria, debet non solum ante litem contestatam, sed & ante omnem actum Iudicialem proponi, ne alias, Reus in Iudicium consentire, seu Iudicium suscipere, vel suspicionis causam non curare videatur, nisi forte postmodum

dum causa suspicionis supervenerit; vel ex
stiterit quidem ante, verum post litis contes-
tationem, demum in notitiam Rei venerit,
ideoque tunc post litem quoque contesta-
tam, objici potest.

Proponi debet Recusatio Iudicis, non ver-
bis sed Scripto, quia hujusmodi Recusatio,
Interlocutoriæ æquiparatur, à qua in scripto
appellari debet, ideoque libello opus est, qui
Iudici exhibeatur, si is fuerit præsens, secus si
absens.

Sed & Iure Canonico, causa suspicionis, in
libello recusatorio exprimenda est, & tunc
Iudex recusatus subsistet, mandabitque utri-
que litigatorum, vel etiam coget, si opus sit,
ut communi consensu eligant unum vel plu-
res arbitros, & in dissensu singuli unum. Qui
quidem Arbitri electi, Arbitrio recepto, non
cognoscent de causâ principali, sed suspicio-
nis duntaxat, deque veritate & idoneitate il-
lius, statuentque recusatori terminum ad
eam probandam. Probata coram Arbitris,
sufficienter justâ causâ suspicionis, & sen-
tentiâ desuper per arbitros latâ, Iudex cogni-
tionem causæ, alteri mandabit, de consensu
Recusatoris, vel ad superiorem remittet. Non
probatâ vero, vel probatâ, quidem, Sed ille-
gitimâ & inidoneâ causâ, ad Iudicem recu-
satum

satum remittetur, isque perseverabit Iudex, sicut, & quando Iudex appellationis, pronunciat bene judicatum; & malè appellatum, remittitur causa ad Iudicem à Quo.

Cæterum, Iure Civili, non est necesse causam suspicionis in libello recusatorio exprimi, sed sufficit nuda allegatio causæ, unde & in genere, potest allegari quis suspectus, etiã sine expressione causæ, dummodo recusans Iuramentum, præstet de calumniâ, quod calumniosè non recusat: & ideo Arbitri, à Partibus electi, secundũ Ius Civile, omisso articulo susdicionis, in causâ principali cognoscunt, tanquam si à principe essent dati ejus Iudices.

Sed & illud discriminis est, inter Ius Civile & Canonicum, quod Iure Canonico, tam ordinarius, quam delegatus recusari possit, etiam Episcopus. At vero Iure Civili, delegatus quidem recusari potest, nisi delegatio expresse facta sit à Principe, cum clausula, remota Recusatione, prout indubie de Iure cõmuni delegare potest, cum hac adempta adhuc supersit remedium appellationis, cæterum, eodem Iure ordinarius Iudex, nequit recusari, ut suspectus, ad hoc, ut removeatur, tanquam suspectus, sed si subsit aliqua causa suspicionis, alius ei adjungendus est.

An autem commissarii dati, ad recipiendos & examinandos testes, recusari possint, dubitatur. & verius est, posse: quia sant Iudices delegati, omnisque victoria in probationibus consistit. Quæ vero sit justa causa, recusandi Iudicem, certo definiri nequit: ideoque magis in arbitrio Iudicis, quam in certâ legis definitione, ea res consistit. Hinc fit, quod recusatione propositâ, plerumque illius cognitio, ad arbitros rejiciatur. Sunt autem, variæ & multiplices ejusmodi justæ causæ recusationis. Quarum prima est, si Iudex sit familiaris alteri Parti, magna scilicet non modicâ familiaritate, Secunda, si Iudex Ordinarius, ex aliqua justâ causâ sit suspectus, potest & Vicarius ejus, ex eâdem causâ recusari, licet in specie, adversus Vicarium, nulla alia sit suspicio.

Tertia si Iudex sit consanguineus alterius Partis, & non æqualiter utriusque. Quarta si Dominus sit suspectus, ex eadem suspicionis causa, tota illius familia potest allegari suspecta; & sic de aliis similibus. Effectus Recusationis est, quod postquam fuerit proposita, pendente desuper cognitione, nisi frivolam esse constiterit, Iudex in causâ supersedere, nec ad ulteriora procedere debeat, alias processus erit nullus, & sententia, si

quam

quam tulerit, nulla. Cæterum an ipso jure, an vero validitas vel nullitas sententiæ seu processus pendeat ab eventu probandæ vel improbandæ causæ, variant interpretes, sed verius est ipso Jure, & quidem utroque esse nullum, est enim periculosissimum, & à ratione alienum, coram judice suspecto litigare.

De Potestate Legis Humanæ.

CAPUT XIV.

An in hominibus sit Potestas Leges ferendi? Et qui illam habeant?

IN Communitate perfecta, necessaria est Potestas, ad quam spectat gubernatio comunitatis, nam ut ait Sap. Prov. 11. ubi non est Gubernator corruet populus, & S. Thom: opusc. 20 de regimine Principum libro 1. capite 1.

Hinc Magistratus humanus, si in suo ordine supremus sit, habet potestatem ferendi Leges, sibi proportionatas, scilicet civiles seu Humanas, quas ex vi juris naturalis, & valide & juste condere potest, servatis conditionibus ad Legem necessarijs. Ita S. Thom. 1.2 q. 90. & 69. Soto Sylvester. Covarruvias, & alij ideoque requiritur Potestas Jurisdictionis meri Imperij, vel existentis in gradu proximo, quia sicut condere Leges, unus est, ex præcipuis actibus Gubernationis Reipub, ita

præcipuam & superiorem requirit Potestatem. Ita omnes Canonistæ. Hæc autem Potestas primario & per essentiam in Deo est, communicatur autem Regibus per aliquam participationem. Suarez de Leg. lib. 1. cap. 8. Hæc quæ Potestas, ex sola rei natura, in nullo singulari homine consistit, sed in hominum collectione. Prior pars est S. Thomæ 1. 2. q. 90 Item l. 1. § de constit. Princ. Soto lib. 1. de Jure & Justitia. Covarruvij. Navarri, & omnium Canonistarum. quia ex natura rei, omnes homines nascuntur liberi, & ideo, nulli habent Jurisdictionem politicam in alium, sicut nec Dominium: Posterior est Suarez lib. 3 de Leg. cap. 2. Licet hæc Potestas sit veluti proprietas naturalis, perfectæ communitatis hominum, ut talis est: nihilominus tamen non est in ea immutabiliter, sed per essentiam ipsius communitatis, ideo per aliam justam viam, potest illa privari, & in alium transfundi. Ita Suarez.

Hinc pater, Potestatem civilem quoties in uno homine vel Principe reperitur legitimo ac ordinario Jure, à Populo & communitate manasse, vel proxime vel remote, nec potest aliter haberi ut justa sit. Ita communiter Juristæ in lib. 1. ff. de constit. Princ. & S. Thom. 1. 2. q. 90. Ideoque licet hæc Potestas

fæ-

sæpius sit in Regibus per successionem hæreditariam, nihilominus tamen, hæc præsupponit Dominium, vel Potestatem in eo, cui succeditur, & ideo necessario, deveniendum est ad aliquem, qui alteri non successit, quia non proceditur in infinitum, ille autem, Regnum & Potestatem non habuit à se, Jure naturæ, ideo necesse est, ut ille primus, habuerit Potestatem supremam immediate à Repub. Successores autem illius, ab illa habeant mediate & radicaliter. Suarez lib. 3. Legib. cap. 4 nu. 3.

An vero, Imperator habeat Potestatem universalem, ferendi Leges civiles, obligantes totam Ecclesiam, variant Doctores, quos citat Suarez loco dicto, & concludit ibidem cap. 8. Eum, non posse per illas obligare totam Ecclesiam, sed tantum primario Romano Imperio subjectos.

Hæc Potestas condendi Leges, est in Regibus pro suo Regno, & in omnibus, qui non recognoscunt superiorem, quo ad Subordinationem temporalis Jurisdictionis, sive sint Duces vel Comites aut quolibet alio nomine vocentur, eo modo & conditione, sub qua data est, & translata per Communitatem. S. Thom. 1. 2. q. 90. & Canonistæ in c. Ecclesia de consit.

Hæc

Hæc etiam Potestas, est in illis communitatibus perfectis, quæ per se ipsas gubernantur, sive aristocratice vel populariter l. omnes populi ff. de Just. & Jure, Idem est in Rebuspublicis uti Veneta, Genuensi, & similibus, qui supremam in se Potestatem retinent unaquæque autem civitas, tantum habet de Potestate condendi Leges, quantum habet de Jurisdictione superiori Baldus in lib, omnes populi ff. de Justitia & Jure.

CAPUT XV.

An Leges Regni vel Territorij obligent subditos quando extra illud versantur; vel advenas dum in eo ad tempus subsistunt.

LEx non obligat extra terminum Territorij illius Superioris, vel Principis à quo fertur, & ideo Incolæ illius Territorij, per se loquendo, non peccant, etsi contra illam agant, dum extra Territorium existunt, est communis Sententia Doctorum in cap. a de constit: in 6. quia Jurisdictio particularis, non extenditur quo ad Leges ferendas, extra Territorium, cum alioquin Princeps excederet sphæram suæ activitatis, ut loquuntur Philosophi.

Hoc autem intellige de propria obligatione Legis directiva, & in Conscientia; nam in co-

coactione ad Pœnam, potest Princeps punire subditum, qui deliquit, extra Territorium pœnâ impositâ per Legem suam, & latam pro suo Territorio, quando pœna non est imposita de Jure, sed imponenda, nam tunc delictum extra Territorium commissum, intra illud postea punitur. Ita Abbas in cap. 1 de raptoribus, quia tunc postea non imponitur, extra Territorium sed intra illud, quia supponitur per hominem inferenda. Sciendum tamen aliquando legem non obligare extra Territorium, dum materia illius, non respicit bonum ipsius Territorii, scilicet ut vitetur injuria vel nocumentum ejus, aut aliquid simile, ita ex Covarruia tradit Suarez lib. 3 de Leg. cap. 32.

An autem Leges propriæ Territorij obligent advenas & peregrinos, controversia est inter Doctores. Verior Sententia est, eos obligari in Conscientia, quamdiu ibi versantur, eodem modo quo obligãtur Incolæ; Hæc est communis sententia Interpretum, in L. cunctos populos cap. de summa Trinitate Innocentij, Hostiensis, Panormitani, Sylvestri, &c. quia lex fertur generaliter, pro tali Territorio, ideoque obligat omnes, ibi actu existentes, pro tempore, quo ibi commorantur, imo, illi quoque subjiciuntur, quoad vim coa-

coactivam, adeoque ibi puniri possunt, et transgressionem talis Legis, vel per Judicem vel per ipsam legem, si pœnam ferat ipso facto. Ita Interpres in c. à nobis, de sententiâ excommunicationis.

Similiter quoque ab Advenis, servandæ sunt Leges Territorij, in quo versantur, quo ad formas Judiciorum, Contractuum, Testamentorum & similium, & juxta illas judicandum, & contra illas acta, sunt irrita, Ita Bartolus, Jason, Felin, Panormit, &c.

CAPUT XVI.

An Leges Civiles justæ obligent Ecclesiasticos, & quomodo.

CLerici tenentur servare Leges Civiles justas, ac necessarias, quæ pro tota communitate Populi vel civitatis feruntur, quarum materia, communis est Clericis cum alijs civibus, & æque possunt ab omnibus observari, sine ulla indecentia, vel iniquo gravamine Clericorum, ita omnes Canonistæ & Summistæ Soto, Medina, Vasq. Toletus, Sylvester Covarrvias & alij, nam communis Ecclesiæ consuetudo habet, ut hujusmodi Leges, à Clericis serventur, non propter timorem, sed propter Conscientiam & scandalum avertendum, si sæculares viderent, tales à Clericis non servari, v.g. triticum ca-

rius

rius vendi; quam lege taxatum, vel quid simile Suarez lib. 3 de Leg. cap. 34. quia ad id obligantur, ex vi naturalis rationis, dictantis partem non debere discordare à toto. Præcipua vero ratio hujus obligationis est, quod Canones eam approbent, quo ad hunc effectum.

Hæ vero Leges non comprehendunt Clericos, quo ad vim cogendi illos, nec quo ad hoc per Canones approbantur; licet transgressores earum, à suis Prælatis, & eorum arbitrio puniri possint, propter talia delicta, quia Potestatem Jurisdictionis coactivam, Princeps sæcularis, seu Judex, nullam habet, in personas Ecclesiasticas, propter immunitatem fori. Hinc transgressor Clericus licet peccet, non tenetur in conscientia pœnam solvere, nisi per suum Judicem vel Prælatum ad id cogatur, qui id facere potest, quia illud delictum contrarium est bono communi. Hic vero Prælatus, pœnam potest imponere pro arbitrio, nec tenetur, ad pœnam designatam à Lege impositam. Covarr. lib. pract. qu. cap. 33. Suaretz lib. 3 de leg. cap. 34 Hoc vero, quod de obligatione clericorum, servandi Leges dictum, intelligendum est, de illis Legibus, quæ respiciunt bonum publicum immediate, & per se, ut quando earum mate-

materia, communis est omnibus civibus, pro ut tales sunt, ac justa & honesta, & nihil continet, contra decentiam, vel exemptionem, Ecclesiastici status, sed potius fovet, ut v.g. in Lege taxante precium tritici; & similium rerum, in Lege prohibente extrahi è Regno, res necessarias Reipub: & similibus, Suar: l. 3. de Leg. cap. 34.

CAPUT XVII.

An Lex Humana debeat esse de Communi magis, quam in particulari. & an ad eam pertineat omnia vitia prohibere.

CErtum est eam debere poni in communi, ita S. Th 1.2.q.96.art.1. quia leges debent proportionari suo fini, finis autem est commune bonum, cui procurando, per se, non est accommodata aliqua directio, aut mandatum uni factum, pro particulari negotio vel opere, ergo Lex debet esse universalis quæ ad multorum actiones dirigendas, vim habeat, nam ex actionibus plurium de communitate, bene compositis & ordinatis, consurgit bonum & Salus Reipubl: Non vero pertinet ad Legem civilem omnia vitia prohibere. Ita S. Th. hic art: 2. quia Lex imponitur hominum multitudini, cujus major est in Virtutibus imperfectio, & ad mala proclivi-

tas

tas, quam, si velis prohibere minis & pœnis, totaliter à vitijs, periculum foret, ne jugum excuterent, & cum magna perturbatione Reipublicæ in deteriora prorumperēt, quibus postea cohibendis non sufficeret Humana & civilis Potestas.

Nihilominus dici potest; ad Legem Ecclesiasticam, quodammodo pertinere, omnia peccata mortifera & notoria prohibere, ac etiam pœnis spiritualibus coërcere, quia Ecclesiasticæ Potestatis finis est, hominem ad salutem supernaturalem dirigere, & proinde etiam, ad eam spectat, amovere omni oportuno modo & loco, quæcunque puræ fidei adversantur.

Neque tamen propterea dicendum est, omnia peccata, esse Fori Ecclesiastici, nam contrarium docetur in decretalibus, de foro competenti, sed ea tantum, quorum materia per se contrariatur fini, Principijs, & auctoritati, ac præceptis Ecclesiæ, quorum autem materia, proprie & per se, est contra justitiam civilem, vel tranquillitatem status publici, illa spectant ad Forum sæculare. Quorum autem materiæ, utrisque adversantur, possunt esse mixti Fori, v.g. adulterium, quia contrariatur Policiæ & Justitiæ civili, ac etiam injuriosum est Sacramento Matrimonij. Hinc ad

utrum-

utrumque forum dicitur pertinere. Ita Wigers in 1,2 q.96.art.2.

CAPUT XVIII.

An Lex Humana præcipiat omnes actus Virtutum & an se extendat ad actus internos?

Conclusio D. Thom: hic 1,2. q.96.art.3. Nulla est Virtus, de cujus actibus, Lex Humana præcipere non possit; non tamen omnes actus omnium virtutum præcipit. Prior pars probatur, quia omnia objecta virtutum possunt aliquando ad bonum commune servire, & referri, videlicet aut immediate aut saltem mediate, quia vel directe per se, ad conservationem bonorum communium faciunt, aut, certe conducunt ad bonam disciplinam, per quam subditi confirmantur, ut commune bonum Justitiæ, & pacis inter se conservent, quia plurimi actus virtutum in particulari fiunt absque humana Lege, qui etiam non referuntur ad commune bonum, sed propriam vel amicorum salutem; neque convenit etiam; quod Lex humana præciperet omnes actus omnium virtutum, quia hoc tam parum congrueret Humanæ infirmitati, quam velle prohibere omnia propria vitia; Quare sicuti satis est similibus legibus, quod prohibeant pœnis, ill-

delicta quæ tranquillitatem Reipubl: & civium perturbant, & alia quædam, quæ propter gravitatem suam, solent aliquando Divinam provocare iram, sicut propter illa deleantur subinde Regna & Provinciæ, licet ipsa, per se proxime, non perturbent specialiter publicam pacem (ut sunt ea quæ communiter dicuntur peccata contra naturam) Ita quoque ijsdem Legibus sufficit, quod præcipiant illos virtutum actus, tempore & loco qui necessarij sunt, ad communitatis conservationem, & subditorum tranquillitatem. Verum controvertitur, utrum Lex Humana possit se extendere, ad actus internos, sive virtutum, sive vitiorum, eos præcipiendo aut vetando. De Lege civili, hoc imprimis, pro indubitato tenetur ab omnibus, quod non possit, illa sese, ad actus internos extendere, quia immediatus & proprius ejus finis, in tranquillitate, & pace externa consistit, quæ ab exterioribus pendent, non ab interioribus. Quare præcipua restat difficultas de Lege Ecclesiastica; cujus est cura, bonum spirituale, & hominem dirigere, in finem supernaturalem, quæ potissimum dependent, ab interioribus; unde & Doctores satis conveniunt; posse Ecclesiam indirecte præcipere actum internum, quatenus scilicet externus

nus, quem præcipit, sine interno fieri non potest, & ita, indirecte præcipit internam attentionem, quando præcipit Preces Horarias quæ ut vere preces sint, non possunt fieri absque omni actu interiori. Sed dissident Doctores, utrum possit Lex Ecclesiastica, aliquem actum internum per se, & seorsim, quatenus pure & mere internus est, præcipere aut vetare, v.g. actum Orationis mentalis, absque ordine ad opus externum, aut vetare, internam cogitationem dissensionis ab Articulis fidei.

Partem affirmativam docet Adrianus quodlibeto 8. Glossa in Capitulum cogitationis de Pœnitentia dist. 1. & quidam alij.

Verum, negativa sententia est probabilior quam tenet D. Thom. q. 91. art. 4. ubi expresse docet, non posse homines ferre legem, de interioribus motibus, qui latent; sed tantum de exterioribus, qui apparent.

Idem docet Sylvester verbo excommunicatio n. 2. Navarrus in summa cap. 27. & in Capitulo cogitationis de pœnitentia dist. 1. & alij plures

Fundamentum præcipuum D. Th. & aliorum est, quia humana Jurisdictio, non potest ferre Leges, de actibus, de quibus non potest judicare, nec punire, Patet hoc ex Philosoph. lib.

lib.10.Ethicorum,cap. 5. ubi docet Potestatem Legislativam , necessario debere conjunctam habere Potestatem coactivam,quia scilicet alioquin esset inefficax , & proinde inutilis,unde non potest homo legibus præcipere,quæ vindicare non valet;si fiant, non vindicat autem,nisi mediante judicio; ergo poterit Lex humana versari tantum circa illa quæ potest homo judicare,atqui non potest homo judicare de actibus mere internis ; Et proinde neque illos punire, ergo per consequens,nec poterit Humana Potestas qualiscunque,de talibus ferre leges. Actus enim mere interni , sunt omnino extra cognitionem Humanam , & ideo Judicium de illis Deo relinquitur , homo enim videt ea quæ patent,Deus autem intuetur cor ut habetur 1 Reg.16. Wiggers hic art.3 .

Notandum,vero duplex esse occultum,unum,scilicet per se tale, quod suapte natura omnem cognitionem & probationem apud Homines , excludit , ut quæ solâ mente & voluntate fiunt,alterum vero, esse occultum per accidens,quod sua quidem natura, cadit sub cognitionem humanam,& consequenter,natura sua,probari potest,& judicari ab homine,sed quia nullo altero præsente, factum est,hinc ejus contingit deficere cog-

nitionem & probationem. Quando ergo dicitur, quod Ecclesia, tantum de manifestis & non de occultis judicet: Intelligendum est de occultis, quæ suapte natura, fugiunt humanam cognitionem & probationem. Ira, ut nec habeant actum aliquem comitem, per quem tanquam effectum, aut signum, cognosci & probari possint, nam alioquin de occultis tantum per accidens, vel quæ habent externum signum conjunctum, potest Ecclesia, & humana Potestas judicare, non quidem judicio aliquo, quod ab homine fertur, per formam particularis sententiæ (ad hoc enim requiruntur testes sive probationes in particulari) Sed judicio, quod fertur per formam Legis, quando scilicet, Lex per seipsam infligit pœnam delictis, v.g. excommunicationem; ipso facto incurrendam; aut aliam censuram, quia sicut, lex illa est quædam generalis sententia, ita satis est, quod etiam materia, circa quam versatur, in communi, & per se, cadat sub Humanam cognitionem & probationem, quamvis per accidens, aliqua in particulari lateant; & dicitur hujusmodi pœna, latæ Sententiæ, quia per ipsam Legem fertur sententia & pœna infligitur. Ita Wigers in 1,2.q.96.art.3.

CAPUT XIX.

An Lex humana imponat homini necessitatem in foro conscientiæ? Et quando obliget ad peccatum mortale? Item quando obliget cum mortis periculo.

LEges Humanæ, si justæ sint, habent vim obligandi in foro Conscientiæ, Ita S. Th: 1.2.q 96.art.4. & patet manifeste ex Scripturis sacris 1.Petri cap.2. Subjecti estote omni Humanæ Creaturæ propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive Ducibus tanquam à Deo missis, &c. 1.ad Thessal:cap.4. qui hæc spernit, scilicet Præcepta quæ Apostolus ordinabat, non hominem spernit sed Deum; quod conforme est verbis Christi, apud Lucam cap.10:qui vos spernit me spernit. Dubium autem non est, quin reatum culpæ, apud Deum incurrat, qui sic agit, ut Christum contemnere convincatur. Item ad Eph. 6.monet Apostolus, ut servi Dominis suis carnalibus, in simplicitate cordis sui, serviant tanquam Christo.

Probatur Ratione, quia non omnia quæ ad vitam humanam recte instituendam spectant, tam secundum Religionem quam Politiam possunt commode definiri, per Legem Naturalem aut per Legem divinam, nam pro varietate temporum, locorum, &

personarum, sæpius convenit aliqua mutari, aut aliqua esse diversa, in regimine populi & Communitatis. Ex quibus omnibus constat, non tantum Leges Ecclesiasticas, habere vim obligandi in Conscientia, sed etiam Leges civiles, nam plurimæ Scripturæ citatæ, indifferenter loquuntur de omni superiori Potestate, quædam autem magis specialiter de Potestate Ecclesiastica. Ita Wiggers hic articulo 4.

Sed hic dubium movetur. Quando Leges humanæ, obligent ad peccatum mortale. Suppono Leges humanas, si injustæ sint, non obligare ad peccatum ullum. nisi interdum ratione scandali. Pro cujus intelligentia notandum est, aliquando Legem esse injustam, quia præcipit rem de se inhonestam, & illicitam, & tunc quidem, neque opus esse, eam tali casu servare.

Aliquando vero esse injustam, quia fertur ab eo, qui non habet legitimam Potestatem, vel quia non spectat ullo modo, ad bonum commune, aut quia non servatur debita forma cum alijs circumstantijs requisitis, Et tunc, non esse quoq; necessario in conscientia servandam, nisi interdum Ratione scandali, sive perturbationis Reipub. vel gravis mali vitandi, sicuti jam diximus. His præmissis

Dico

Dico 1. quando violatur Lex humana, sive civilis, sive Ecclesiastica, ex contemptu, tum committitur mortale peccatum; Hæc conclusio est communis & indubitata apud omnes; ubi hoc tamen observandum est, Legem tunc violari ex contemptu, quando quis eam transgreditur, non ex aliqua cupiditate vel timore, vel aliam ob particularem infirmitatem, vel causam, neque etiam hoc ipso, quo quis sæpius eandem Legem prævaricatur: sed quando transgreditur, quia vilipendit, & spernit Legem, & Legislatoris Potestatem, &, ut ostendat se spernere, facit contra Legem.

Petes, utrum erit peccatum mortale, ex contemptu transgredi Legē de materia levi?

Respond. dupliciter posse fieri, illam transgressionem ex contemptu, vel quia contemnitur simpliciter, & absolute Potestas Legislatoris, vel quia, res quæ præcipitur, tanquam parva & levis contemnitur. Priori modo, facere contra Legem, etiam de rebus parvis, est peccatum mortale, quia licet materia ipsius Legis, sit parva & levis, tamen objectum actus transgredientis, est maximi momenti, & materia gravis, scilicet Auctoritas & Potestas Legislatoris. Posteriori autem modo, contra ejusmodi Legem facere, non videtur

esse mortale, ut Doctores communiter sentiunt, quia non contemnitur Potestas ferentis Legem, sed res præcepta, tanquam parvi ponderis, negligitur aut contemnitur, & quia res parva est, etiam contemptus censetur parvus, sive parvi momenti, quando ad Potestatem superioris, non transit.

Dico 2do. Quando Lex humana, est de re gravi vel necessaria ad bonum commune, violatio ejus erit etiam peccatum mortale, quamvis ex contemptu non fiat, ita communiter Doctores, quod tamen sic oportet intelligere, si Legislatores, quantum possunt, intendant obligare ad ejusmodi Legum observationem. Quę intentio, utcunque potest colligi, ex verbis quibus Lex fertur, ut si ponantur hæc aut similia verba, in virtute Sanctæ obedientiæ, sub pœna maledictionis, sub interminatione divini Judicij hæc præcipimus, mandamus, & prohibemus; aut his æquipollentia; tales enim sermones, judicant Legislatorem, pro tota sua Potestate, velle legem observari, undè si materia sit gravis, Leges sic latæ obligabunt ad peccatum mortale, quia & auctoritas est sufficiens, & sufficienter applicata, & ipsa res gravis est.

Quando autem Lex fertur, tantum hujusmodi sermonibus, nullus hoc vel illud faciet aut

aut hoc vel illud prætermittat, non videtur tunc Legislator, pro tota sua Potestate, imponere & proinde, neque Lex ad mortale peccatum obligare, prout Doctores solent hanc diversitatem, observare & constituere. Quod tamen intellige, nisi aliunde contrarium constet, v. g. ex communi fidelium apprehensione, & sensu, qui passim existimant, ejusmodi Legem, sub mortali non obligare, quamvis clarioribus verbis esset expressa, unde frequenter, ad communem sensum Populi Christiani, in ejusmodi Legibus, est recurrendum: Ita Wigg. hic art. 4.

Dico 3tio. quando Legis violatio cederet in magnum detrimentum Reipub: oportebit illam servare, etiam cum certo mortis periculo. Ita Doctores communiter, v. g. Lex ne miles deserat suam stationem, dum civitas versatur in discrimine, est servanda etiam cum periculo mortis. Et Ratio reddi potest, quia quilibet privatus, cum sit pars cõmunitatis, tenetur anteponere bonum commune suo proprio, cum pars sit propter ipsum totũ Item quando violatio Legis cederet in contemptum Fidei, aut Potestatis Ecclesiasticæ, tunc etiam cum vitæ discrimine, Lex est observanda; Ita quoque communiter Doctores v. g. est aliquis captus ab hæreticis, & jubetur

comedere carnes die Veneris, in contemptum Ecclesiasticæ Potestatis, potius debebit is, hoc casu, mortem subire, quam carnes comedere. Ratio est, quia tum talibus circumstantijs, carnes comedere, est servire ipsorum intentioni, eamq; exequi, atque ita contemnere Potestatem Ecclesiæ.

Dico 4to. Præter hos duos casus, non videntur Humanæ Leges, cum periculo vitæ obligare, Ita communiter Doctores contra Cajet: & Adrian: quia divinæ Leges, sæpius non obligant, cum tanto discrimine & incommodo, ut patet in primis, in lege de explicandis omnibus peccatis mortalibus in confessione, quando enim ex alicujus peccati declaratione, confitenti immineret periculum mortis sive ab ipso Confessario, sive ab alijs, quibus verisimiliter illud esset revelaturus, non tenetur in confessione aperire, si alium Confessarium non habeat, sic quoque 1. Reg. 21. legitur David, comedisse panes propositionis in necessitate, quos tamen juxta divinum mandatum, edere non licebat, nisi solis Sacerdotibus, ut patet Leviticor: 34. Sic tamen Davidem non peccasse, testatur Christus, apud Matth cap. 12. Ita quoque Machabæi, decreverunt mortis vitandæ gratia, pugnam inire die Sabbathi, quod alioquin non licuisset. De-

Denique, multæ humanæ Leges, non obligant etiam cum minori periculo, juxta cõmunem sententiam, ut patet in lege jejunij, audiendi Sacrum, quæ non obligant cum periculo mortis, aut alicujus alterius gravioris incommodi. Fundamentum autem Conclusionis, assignari potest, quia non præsumitur fuisse voluntatem Legislatoris in talibus eventibus, quando periculum mortis, sic per accidens, ex occasione Legis servandæ instaret, tam stricte obligare, ita nimirum quod actui præcepto neque per se insit, neque etiam Potestatis Ecclesiæ, aut Religionis inducat contemptum, Imo etsi vellet Legislator, non videretur ista voluntas rationabilis, ac proinde non efficax ad obligandum, quia sic obligare ad actum præcepti (ut fieri semper debeat quacunque obveniente incommoditate, aut periculo etiam extra dictos casus) non est ordinarie & regulariter necessarium ad bonum commune, & salutem Reipub. non enim debet res præcipi cum tam difficili circumstantia & humanæ infirmitati propemodum impossibili, nisi ex urgentissima boni publici necessitate, quia non habet Magistratus, sive civilis sive Ecclesiasticus, Dominium vitæ civium, sed convenientem usum, & ideo non videtur posse, ex communibus &

ordinarijs cauſis, obligare ad profundendam vitam. Ita Wigg. in 1 2. q. 96.

CAPUT XX.

Vtrum Lex pœnalis obliget in conſcientia, ad id præſtandum, pro quo pœna imponitur

NOtandum eſt, Legem aliam dici pœnalem, quæ nimirum præcipit aut prohibet aliquid, nullâ expreſſis terminis pœnâ appoſitâ, contra transgreſſores, ut eſt Decalogus. Aliam vero dici pœnalem, eam videlicet in qua diſertis verbis pœna exprimitur. Et hanc rurſum ſubdividi, in pœnalem mixtam & pure pœnalem. Mixta dicitur, quæ explicite præcipit vel prohibet aliquid & ſimul pœnam apponit, ut eſt hæc de ligno ſcientiæ boni & mali ne comederis, in quacunque die autem comederis, morte morieris. Poteſt autem hæc ſubdividi, in eam quæ aliquid præcipit vel probibet, & pœnam contra facientes ponit, quaſi copulative, v, g. nullus frumentum, extra patriam avehat, qui avexerit luat centum, quæ vocatur ab aliquibus copulative mixta. Et in eam, quæ iſta ponit diſiunctive v. g. nullus avehat frumentum, vel pendat ærario Reipub. tantum, vel tantum. Et poteſt vocari diſiunctive mixta. Pure pœnalis eſt, quæ nihil præcipit aut prohibet, terminis expreſſis, ſed facienti vel non facienti hoc vel illud

illud, statuit certam aliquam pœnam v. g. qui maledixerit Patri aut Matri, morte moriatur his præmissis.

Dico 1mo. Lex pœnalis mixta, copulative posita, obligat in Conscientia, ad præstandum id, pro quo pœna apponitur. Ita communiter Scholastici, Et Covarruias ad regulam peccatum p. 2. §. 5. n. 2. Castro l. 2 de Lege pœnali cap. 8. Sylo: Verbo obedientia, contra Navarr: Enchridij cap. 23 n. 55. Qui non universaliter, sed cum certis limitationibus, vult hoc verum esse.

Probatur primo, quia in tali Lege, continetur præceptum aliquod morale, Secundo, etsi addatur pœna, manet nihilominus; illius præcepti obligatio, in Conscientia, non secus quam in alijs Legibus humanis, ubi pœna non apponitur; patet consequentia, quia alioquin oporteret dicere, quod obligatio ad pœnam repugnaret, culpæ, sive obligationi in conscientia. Quod tantum abest, ut potius illa hanc supponat, cum pœna proprie dicta non infligatur, nisi propter culpam, & ideo explicite apponitur pœna, ut homines magis excitentur, & moveantur ad Legis observationem, unde potius signum est majoris obligationis, sive Legislatorem, magis velle legem suam observari, quam quod inde pos-

sit colligi, non esse voluntatem Legislatoris obligandi.

Dico secundo. Lex pœnalis, mixta disiunctive posita, non obligat in conscientia determinate, ad rem propositam faciendam, sed vel ad eam observandam, vel ad tantundem pendendum, quantum Lex statuit. Res evidens est, quia hoc ipso, quo sic disiunctive, Legislator constituit, relinquit in arbitrio subditorum, ut quam velint partem eligant; Et quamvis fieri posset, quod Legislatori gratius foret, observari priorem partem, quam pendi mulctam aut quasi mulctam, sub disiunctione appositam, hoc tamen non inducit obligationem, saltem sub mortali.

Dico tertio. Etiam Lex pure pœnalis, modo vera Lex pœnalis sit, obligat in conscientia, ad id, pro quo pœna imponitur. Ita Soto li. 1. de Justitia & Jure q. 6. art. 5. Covarru. supra art. 4. n. 4. & Theologi communiter. Probatur: quia hoc ipso, quo Legislator statuit pœnam, significat se velle id fieri, pro quo pœna imponitur, quæ voluntas sic legitime subditis promulgata, illos obligat, non secus, quam alio modo explicata, nisi contingeret quod Legislator contrarium exprimeret; Unde in hujusmodi pœnali Lege, im-

implicitè continentur duæ Leges, V. G. qui noctu cum armis inventus fuerit, in vincula conjicietur, una scilicet respectu uniuscujusque privati, qua omnibus prohibetur, ne cum armis noctu incedant, quam proinde tenentur omnes observare. Altera respectu Judicis, qua præscribitur ut talem pœnam Reo infligat.

Dixi, modo vero Lex pœnalis sit, quia sunt aliquando constitutiones quædam, habentes speciem sive apparentiam Legis pœnalis, & tamen in proprietate, non sunt tales V. G. Canones quibus constituitur, quod qui contraxerint secundas nuptias, vel obierint officium Judicis, in causa sanguinis, arceantur à sacris Ordinibus. Item statuta quibus ordinatur, ut qui ad gradum Licentiæ non fuerint promoti, non admittantur ad Præbẽdas affectatas, vel ad munus Advocati, &c. Hæ nempe constitutiones, non sunt proprie Leges pœnales, sed tantum requirunt, quod certæ qualitates adsint vel absint, ut quis habeatur idoneus & habilis, ad ordines aut officium aliquod, unde non est intentio Legislatoris obligare, ut vel secundas nuptias non contrahat, vel officium non suscipiat, quemadmodum, neque quod ad gradum Licentiæ debeat promoveri. Ut autem discrimen hoc

intelligatur tradit Covarr, supra hanc regulam; Quod videlicet, signum sit Legislatorem voluisse, obligare ad illud, pro quo pœna, aut quasi pœna apponitur, quando hoc expedit Reipub. ab omnibus passim fieri, vel non fieri. Quod ex materiæ qualitate potissimum est colligendum; Ejusmodi autem non sunt, non suscipere officium Judicis, non contrahere secundas nuptias, vel promoveri in scientiis ad gradum. Ita Wiggers in v. 2. q. 95. ar. 4.

CAPUT XXI.

Virum Lex pœnalis in conscientia obliget, ad subeundam pœnam, ante Iudicis sententiam?

NOtandum Primo. Dupliciter à Legibus pœnam constitui, aliquando sic quod ordinent tantum pœnam, in quam transgressores condemnandi sunt. Aliquando vero, quod non tantum ita ordinent, sed etiam ipsæ ferent sententiam ac damnent transgressores in pœnam. Prioris generis dicuntur pœnæ sententiæ ferendæ. Posterioris autem sententiæ latæ.

Notandum. Secundo. Ex diversis loquendi modis, quibus Leges feruntur, esse discernendum, an pœnæ sint latæ sententiæ, discer-

an ferendæ; si enim Lex dicat, incurri pœnã, sine alia Iudicis sententia, incurri ipso Iure, ipse facto. Item si dicat transgressorem obligatum, ad solvendam pœnam in conscientia: vel non posse absolvi à delicto, donec pœnam luerit, quale exemplum habetur Capitulo Romana. §. procurationes de censibus in Sexto: Tunc pœnæ, omnino sunt latæ sententiæ; Similiter si Lex utatur verbis, sicuti Iudices in ferendis sententiis, ut si dicat, excommunicamus, interdicimus. Item si utatur verbis, quæ non importent aliquam aliã actionem, aut ministerium Hominis, aut Judicis, ut si dicat est, vel erit Excommunicatus. Item si dicat, in præsenti excommunicetur, vel ab officio suspendatur. Quando autem, Lex procedit per verba comminantia, ut quando dicitur, sub pœna Excommunicationis, vel utitur verbo imperativi modi, vel æquivalenti, vel etiam verbo futuri temporis, quod significat aliquam actionem; tunc pœnæ sunt sententiæ ferendæ, ut quando dicitur qui hoc fecerit excommunicatur, vel excommunicabitur. Quando autem, ex verbis Legis remanet dubium, sine pœnà latæ sententiæ, tunc in mitiorem partem accipienda est, & habenda, tanquam sententiæ ferendæ.

Notan-

Notandum tertiò. Sententiam Judicis, esse duplicem, scilicet Declaratoriam, & condemnatoriam.

Declaratoria est, quæ declarat Judex, aliquem commisisse tale vel tale crimen, & in nomine incurrisse, hanc vel illam pœnam V. G. Petrum esse hæreticum & eo nomine ejus bona Fisco addicta. *Condemnatoria autem est, qua Judicialiter aliquis condemnatur, in pœnam, sic quod hoc ipso, in illam, vel eam, in ejus subeundæ aut sustinendæ necessitatem incurrat.* Quod posterius addo, quia quædam sunt tales pœnæ, quod simul per sententiam, possint mandari executioni, absque alicujus alterius actione aut cooperatione, ut, cum aliquem, per sententiam excommunicat, aut suspendit ab ordinibus. Quædam vero etiam sunt tales, quod sententia Judicis, non possit illas, per se inducere, sed tantum imponere necessitatem, quod malefactor eas subeat aut sustineat, ut quando Judex condemnat ad exilium, aut mortem. His positis Respondeo, &

Dico primo. Quando Lex pœnalis, continet tantum sententiam ferendam, certum est transgressorem, non obligari ad pœnam exsolvendam, aut subeundam, sive aliquos ejus effectus præstandos, ante sententiam

Judicis

Judicis condemnatoriam, V.G. Lex sit, qui tale quid fecerit, erit condemnandus in talem pecuniæ summam, vel mittendus in exilium, aut excommunicandus; non tenebitur Legis transgressor, ut pecuniam solvat, vel in exilium abeat, vel pro excommunicato se gerat, antequam per Judicis sententiam, ad illa condemnetur. Patet, quia non obligatur, ad amplius, quam Lex ipsa contineat, neque ad pœnam in quam necdum est condemnatus, nam Lex, solum continet sententiam ferendam, ut transgressor adjudicetur pœnæ, quæ magis obligat Judicem quam transgressorem ergo, &c. Ita Wiggers cit. art. dubio 4.

Dico secundo. Certum quoque est, quando Lex continet pœnam latæ quidem sententiæ, sed talem, quam sibi quisque infligere non potest licite, tunc Reum non teneri, ad pœnæ ipsius executionem, V.G. Lex sit qui occidit Patrem, hoc ipso reus est mortis, non tamen tenebitur parricida, sibi ipsi mortem inferre; Quod manifestum est, quia nō potest quis obligari, ad id, quod non potest licite facere. Idem sentiunt nonnulli, de quibusdam pœnis corporis gravioribus, quas quidem sibi licite inferre posset, sed tamen inhumaniores apparent, quam quod existimetur Legislator, voluisse obligare Reum,

ad eas sibi inferendas absque alterius executione accedente, cujusmodi sunt pœna carceris perpetui, publica flagellatio, &c.

Dico tertio. Quando Lex, continet latam sententiam, alicujus pœnæ, quæ ipsius sententiæ prolatione infligitur, ita, ut non requirat aliquam realem actionem, ad sui executionem, tunc transgressor Legis crimine commisso, statim redditur illi pœnæ obnoxius, eamque luere incipit, absque alia sententia, tam Declaratoria quam condemnatoria. Patet in censuris, Excommunicationibus, Irregularitatibus, privationibus beneficiorum, à Jure statutis, per latam sententiam. Quæ pœnæ, ex tempore criminosum efficiunt, etiam ob crimina non publica, ut constat ex communi Ecclesiæ sensu; videtur tamen Excommunicatus, per crimen occultum, eatenus se posset habere, pro non excommunicato, quatenus hoc est necessarium, ne crimen suum publicetur. In cæteris autem, debet se pro Excommunicato gerere. Sed præcipua hic difficultas est, de pœnis, quæ versantur circa bona fortunæ, eorumque Jura & titulos quæ scilicet, præter sententiam à Lege latam, requirunt adhuc aliam actionem ipsius Rei, vel Judicis. Unde.

Dico

Dico quarto. Lex pœnalis, quæ continet latam sententiam pœnæ, quo ad bona fortunæ eorumque privationem, statim constituit transgressorem, debitorem talis pœnæ. Et quando intentio Legislatoris est eiusmodi, ut velit Reum quoque exequi per se, illam pœnam, obligatur tunc Reus in conscientia, ad illius executionem, etiam ante omnem Judicis sententiam; Quando vero intentio Legislatoris est alia, non obligabitur ad executionem, antequam pœna exigatur.

Probatur prima Pars: quia transgressor, cum fiat debitor pœnæ, quam Lex justa, in eum fert, neque requiritur sententia condemnatoria neque declaratoria, ergo, &c. Probatur secunda Pars, primò, quia Lex posita ut modo diximus, non est minoris Virtutis, quam probabilis sententia Judicis, sed potest quis, probabili sententia, condemnari in ejusmodi pœnam, & ejus executionem, per ipsum Reum faciendam V.G. in aliquam pecuniæ summam, quam teneatur Fisco deferre, aut privari bonis suis, quæ debeat deserere, & in exilium abire. Ergo poterit quoque sic condemnari per Legem, ut quemadmodum, per sententiam Judicis, ita etiam, propter Legem, teneatur ad hujusmodi pœnas, per se subeundas; Quod Probatur, quia

plures

plures sunt Canones, & Constitutiones, in quibus Legislatores multiplicatis verbis, & diversis additis particulis, studiose explicant hanc voluntatem & intentionem, ita quod sine manifesta verborum violentia, & legum injuria, non possint aliter accipi, atque frustra Legislatores id agerent, si ne tunc quidem, Leges obligarent transgressores, ad pœnæ executionem, ante accedentem sententiam & operam Judicis ergo, &c.

Probatur tertia pars conclusionis, quia non obligatur transgressor, sive Reus, ad amplius, quam Legislator illum intendat obligare. Quando igitur, non intendit Legislator obligare Reum, ut ipse se exuat possessione, & bonis ante Judicis sententiam, sal. tem declaratoriam, quibus Lex ipsum privat, non tenebitur in conscientia, illa à se prius dimittere, quam officium Judicis accedat. Notandum tamen, non sufficienter, censeri ejusmodi intentionem Legislatoris expressam quotiescunque Lex dicit, quod transgressores, sive criminosi, sint ipso facto, vel ipso Jure privati, suis bonis aut beneficiis, sive quod ipsorum bona, sint Fisco addicta, quia illæ particulæ, ipso Jure, vel ipso facto, in tali casu, habent usum & effectum aliquem, etsi non dicantur obligare Reum, ut

ille, ex se faciat pœnæ executionem, ut constat ex modo dictis; Non videtur igitur dicendum, quod Leges, illam obligationem inducant, sive significent, talem esse Legislatoris voluntatem & intentionem, ut Reus ex se, pœnam exequatur, quia pœnæ, sunt potius temperandæ, quam expetendæ iuxta commune Axioma. Idque potissimum, quando forma, sive modus pœnarum, est admodum Humanæ infirmitati difficilis, ut in præsenti, quia hoc videntur ipsa iura indicare, nam capitulo cum secundum Leges, de hæreticis in 6. decernuntur hæreticorum bona, ipso Jure confiscata, & tamen ibidem dicitur, quod Fiscus non possit illa occupare, ante sententiam declaratoriam.

Tum etiam, quia in aliis Legibus, quando Legislatores volunt obligare Reum, ut per se abdicet & relinquat bona, etiam absque alio Judicis officio, addant tunc in scriptis, alias particulas, quibus hoc clarius & particularius exprimunt, ut patet ex canonibus & constitutionibus supra citatis. Ita Wiggers loco cit.

* * *

CAPUT

CAPUT XXII.

An, & quomodo Iusti, & ipsi Legislatores Legibus subjiciantur? Et quas pœnas hi incurrant, si transgrediantur?

JUsti subsunt Humanis LEGIBUS, quoad directionem, non quo ad coactionem. Quod tamen posterius non sic intelligitur, quod simpliciter non subsint obligationi LEGIS, vel quod pœnas, si prævaricentur, non incurrant; sed, ut explicat D. Thomas, quia Justi non trahuntur quasi inviti, sive potestate LEGIS, sive ejus minis, sicut Peccatores & Injusti; sed voluntarie & suâ sponte, sequuntur LEGIS directionem.

LEGISLATORES vero, non incurrunt pœnas, quas ipsimet suis LEGIBUS constituunt; quia non potest quis habere vim coactivam, in seipsum, propriè loquendo: quia nullus in se ipsum propriè habet Jurisdictionem, unde nec per auctoritatem potest sibi pœnas imponere.

Hinc colligitur: Episcopum non incurrere Excommunicationem, quam ipse suâ auctoritate tulit in aliquod crimen, etiamsi ipse illud committeret. Et generaliter Pontificem non pœ-

posse incidere, in aliquam Censuram Ecclesiasticam; quamdiu Pontifex perseverat: quia in terris Superiorem non habet, à quo, sive per LEGEM, sive per sententiam possit infligi pœna.

Imo LEGISLATOR, directè nullatenus obligatur suâ propriâ LEGE: quia obligatio, quæ directè oritur ex vi alicujus LEGIS, respicit per se, & quasi essentialiter potestatem superiorem. Hinc par in parem non potest LEGEM constituere. Ergo potest multo minus in se ipsum LEGEM ferre, propriè loquendo.

Nec refert, quod possit se ipsum quis obligare voto; licet aliquando votum dicatur quasi privata LEX: nam eius obligatio non est obedientiæ; sed potius Justitiæ, sicuti obligatio promissionis. Neque enim dicitur quis sibi obedire, aut parere, quando suum explet votum, sicut dicitur parere LEGISLATORI, qui observat LEGEM.

Observandum tamen est, quando communitas, vel Respublica fert LEGEM, tunc singulos de Republ. etiam directè obligari LEGE; quia Respublica est superior, respectu cujusque particularis de Republica.

Ex naturali tamen æquitate, & rationis dicta-

dictamine, tenetur Princeps, etiam in ce[r]
scientiâ, ad servandas suas LEGES, qua[n]
do materia ex æquo ipsum & subditos co[n]
cernit. Ut in materiâ spirituali, potest e[s]
LEX Jejunii, LEX Festorum. Item i[n]
materia civili potest esse LEX, de non eve-
hendis granis extra Patriam. Item quæ co[n]
stituit rebus certa pretia. Ratio autem in pri-
mis est: quia alioquin LEGES redduntur
subditis odiosæ, dum vident, eas à LEGIS-
LATORE, in quo militat, eadem com-
munis ratio, non observari. Deinde qui[a]
iniquum videtur, ut quis non velit in parita-
te causæ habere onera, quæ aliis imponit.
Unde capit: cum omnes, Extra de consti[t]
dicitur, quod quisquis Juris in alterum sta-
tuit, ipse eodem uti debeat. Et Christus re-
prehendit Scribas & Pharisæos, Matth. 23.
Quod onera aliis imponerent, quæ ipsi nol-
lent digitis attingere.

Nascitur autem hæc obligatio, ab ipso
jure Naturæ, sivè ab ipso Deo, mediante na-
turalis Rationis dictamine. Unde neque po-
test LEGISLATOR seipsum, sine cau-
sâ, ab illâ eximere.

Dixi in paritate causæ: quia alioquin, si
LEX aliquid mandet subditis, quod non
convenit, vel decet, Principem facere: cer-
tum

tum est, quod tunc omni Jure & Ratione, ab ea sit solutus & liber. V.G. à vectigalibus solvendis, & aliis similibus.

CAPUT XXIII.

An subditus possit aliquando facere præter verba LEGIS?

Quando agere secundum verba LEGIS, esset contra Intentionem LEGISLATORIS, idque subdito constaret, non deberet agere secundum verba LEGIS. D. Thomas hic q. 96. art. 6. quia intentio & mens LEGISLATORIS est, veluti anima LEGIS. Unde hæc semper spectanda est, ita, ut contra LEGEM agant, qui, etsi verba LEGIS servent, tamen scienter contra intentionem LEGISLATORIS faciunt.

Quando autem dubium est, utrum LEGISLATOR intendat in hoc casu obligare subditos, tenentur illum consulere, si res patiatur moram; sin minus, & ex alterâ parte probabile sit subditis, LEGISLATOREM, si adesset, declaraturum, quod non intendat obligare, hoc casu tunc non tenentur. Colligitur ex D. Thoma hic, & docet Cajetanus: quia, licet speculativè dubium sit, utrum hic obliget LEX; Tamen

practice certum est, non obligare, quia justa præsumptio est, quod tunc non obliget. Positis enim ejusmodi circumstantiis, rationi consentaneum est, quod LEGISLATOR nolit subditos obligare.

CAPUT XXIV.

An LEX Humana possit aliquando mutari? Et sit Mutanda, quando occurrit aliquid melius?

DUplex potest esse causa, cur LEX Humana ritè & justè mutetur. Prior desumitur ex parte LEGISLATORIS, qui, ut fert humani ingenii imbecillitas, non potest semper satis exactè prospicere, & cognoscere omnia, quæ in LEGIBUS condendis consideranda sunt, quo fit, ut temporis successu, & rerum usu deprehendatur, aliquando obesse, aut minus utile esse communitati, quod credebatur utile futurum, unde tunc rectè LEX mutabitur. Posterior causa desumitur ex parte ipsorum subditorum, quorum qualitates & mores decursuque temporis contingit, subinde plurimum mutari, et quâ occasione etiam LEX aliquando mutanda est, ut docet S. August lib. 1. de libero arbitr. cap. 5. & 6. Et inter alia ponit hoc exemplum: V.G. LEX habet, quod populus

qui eras moderatus & ſtudioſus boni publici, debeat creare Magiſtratum, ſi contingat, Populum mutari, & inducere corruptos mores, ac attendere magis ad avaritiam, vel alias ſuas cupiditates, quam ad bonum publicum in Magiſtratu conſtituendo, tunc LEX illa mutanda erit. Ita S. Thomas hic art. 2.

Non tamen ſemper LEX mutanda, mox, ut aliquid melius occurrere videtur, ſed tunc demum, quando neceſſitas poſtulat, aut certe magna & evidens utilitas ſuadet. Patet ex LEGE ſecunda §. de Conſtit. in rebus novis, ubi dicitur, evidens eſſe debet utilitas, ut recedatur ab eo, quod diu æquum viſum eſt; Et rationem reddit D. Thomas: quia omnis mutatio LEGUM, continet hoc in commodum, quod mutet conſuetudinem, & conſuetum agendi morem Hominum, unde minuitur, & debilitatur vis LEGIS, quæ plurimũ roboris ad ſui obſervationem accipit ab ipsâ antiquitate & uſu agendi. Accedit, quod ex LEGIS Mutatione, oriri frequenter ſoleant alia plura incommoda, quæ provideri non potuerunt, aut ſaltem prævisa non ſint. Ita Wiggers

l. 2. q 97. & 2.

* *
*

CAPUT XXV.

De Dispensatione.

Quid sit, & qualiter sit interpretanda? Qui sit eius materia? Quotuplex sit? Et qui requirantur? Et an Inferior possit Dispensare in LEGE Superioris?

OBligatio LEGIS Humanæ, ligans certas personas, potest ex causâ, per Superiorem auferri, manente obligatione LEGIS in reliqua communitate. Ita Soto libro 1. de Just q. 7. ar. 3. Rebuffus in pract. par. 2. Navarrus, Covarruvias, & communiter omnes Doctores.

Est autem Dispensatio LEGIS vel IURIS relaxatio à potestatem relaxandi habente facta Ita Zanches li. 8. de Matrim. cap. 1. Quæ adeo stricte est interpretanda, ut, si aliquid operetur, extendenda amplius non sit, cap. 1. §. Ille vero de Filiis Præsbit. in 6. quia exorbitat à Jure communi, ideoque tanquam odiosa restringi debet, juxta hanc regulam Juris in 6. Amittit vero rigorem istum casibus sequentibus.

Primo: Si Dispensatio, sit proprio Principis motu, ob publicam utilitatem, concessa

tum

tunc enim amplè interpretanda. cap. si motu de præb. in 6.

Secundo: si Dispensatio sit in corpore Juris clausa: tunc enim recipit omnem LEGIS extensionem. Felinus in cap: Postulasti de Rescript:

Tertio: Quoties cōstat de concedentis intentione; tunc se ad omne id extendit, quod Concedens intendit; vti & in pluribus casibus quos Sanches loco citato adducit, vbi etiam num: 29. explicat, tunc stricte intelligendam Dispensationem, quando fit ab Inferiori, qui LEGEM condere nequit. Secus, si fiat à LEGISLALORE, qui tunc quasi videtur concedere privatam LEGEM, & consequenter concedere extensionem talis LEGIS.

Locum etiam non habet in Dispensationibus, argumentum à paritate rationis, vel à maiori ad minus, ita, vt in iis Extensio fiat à casu, in quo est par, aut minor ratio, ad casum, in quo est maior, aut eadem cōcessionis ratio. Hæc est communior & receptissima Doctorum sententia, quam tenet Covarruuias, Lopez, Molinà, Felinus, Hostiensis, & plurimi alii citati à Sanches loco ante dicto. At hæc Regula temperanda est.

Primo: ut procedat in Dispensationibus

odiosis, ut ad plura Beneficia. Secus in Favorabilibus: ut in Dispensatione Illegitimi ad Ordines, cap. venerabilem. Qui Filii sint legitimi.

Secundo: Quando casus, in quo Dispensatur, expressam rationem concessionis continet: tunc enim extenditur ad casum non expressum, ubi reperitur eadem ratio. Sic Abbas, Decius, & Alii.

Tertio: Limitatur, quando illud minus est annexum, vel inclusum in majori, tanquam pars ejus, vel ab eo inseparabile: tum enim Dispensatio in casu majori, extenditur ad minorem: ut Dispensatio ad Sacerdotium, extenditur ad omnes Ordines inferiores. Ita Hostiensis, Felinus, Sayro, &c.

Quarto Temperatur, ut non valeat argumentum à majori, in Dispensationibus ab Homine concessis, secus in iis, quæ à Canone, vel LEGE inducuntur, quia illæ strictæ hæ vero large interpretandæ sunt. Sic Covaruvias 4. Dec. 2. Lopes & alii.

Quo ad materiam adæquatam, circa quam potest fieri Dispensatio, in LEGE Humanâ, vel ejus vinculo, SCIENDUM, omnes effectus morales, quæ ex hujusmodi LEGE nasci solent, & de se sunt perpetui, vel tempore definito per LEGEM, necessario de-

ran-

rant, sub hac materia Dispensabili contineri, atque ita omnia impedimenta Matrimonii, sive impedientia tantum, sive irritantia, & omnes irritationes actuum per LEGES introductæ, & Irregularitates, infamiæ, & aliæ pœnæ, vel debita pœnarum, ex LEGE orta, quatenus à LEGE dependent. Ita Suarez lib. 6 de Legi. cap. 12.

Unde est Regula generalis & indubitata, quam ponit S. Thomas quodlib. 4. art. 13. Omnem materiam necessariam tantum, ex LEGE Humanâ, à quocunque puro Homine, vel Hominum congregatione lata sit, esse materiam Dispensabilem, per potestatem Hominibus datam. Quæ Dispensatio est actus Potestatis Jurisdictionis, sine quâ, validè concedi non potest: quia ejus est solvere, cujus ligare. cap. Inferior. dist. 21.

Hinc colligitur, quod Persona alicujus Jurisdictioni subjecta, quantum est ex parte suâ, & status sui, capax sit Dispensationis, quia omnis Superior respectivè, potest cum suis subditis Dispensare in LEGIBUS, & Præceptis à se positis. Ergo & è contrario omnis Persona subdita, quatenus illi subest, capax est Dispensationis. Ita Suarez loco citato.

Uti Papa, potest Dispensare secum in suis LEGIBUS, & Rex in suis; Similiter et-

jam Episcopi & Prælati, & alii civiles Magistratus, qui LEGES condere, & etiam in illis Dispensare possunt, idem facere possunt, respectu LEGUM, quas ipsi condunt, nisi prohibeantur. In LEGE autem Superioris, id non pendet ex natura rei, sed pendet à modo potestatis à superiore concessæ. Ita Suarez libro 6. cap. 12 de Leg num. 11. & 12.

Dividitur Dispensatio in Tacitam & Expressam. Hæc est, quæ expressis verbis conceditur. Tacita vero, quæ aliis signis, vel factis indicatur.

Ad Expressam, licet requirantur verba regulariter, nulla tamen determinata in Jure, sed sufficiunt subinde illa, quæ juxta communem usum, & Dispensationis voluntatem & effectum, satis indicare valeant. Sed requiritur tamen, ut ejus materia sufficienter exprimatur, id est, de qua obligatione, LEGE, aut impedimento, vel inhabilitate, Dispensatio detur, & cui detur: non vero requiritur, ut materia Dispensationis, specifice semper declaretur. Nec necesse est ad substantiam Dispensationis, etiam expressæ, ut in scriptura detur; sed sola verba, ore prolata sufficiunt. nam si in ipsa LEGE, non est necessaria Scriptura, multo minus necessaria erit in

Dis-

Dispensatione. Hæc omnia docet Suarez li.6.cap.13.num.2. & 4.

De Tacita Dispensatione, quæ non consistit in apertâ significatione voluntatis ; sed tantum in præsumptâ, magna est controversia inter Auctores. Quam quidem, omnes admittunt in supremo Principe, quo ad ea, quæ ad Jus Humanum pertinent: quia talis in sua sphærâ est supra illud. Secus vero, docent de eodem ut Dispensante in votis, & alijs, quæ JUS Divinum attingunt. Imo aliqui absolute negant, Inferiorem posse Tacitè Dispensare in LEGE Superioris; sed tantum Expresse. Ita sentiunt Innocentius, Rebuffus, Menochius, Sanches lib.8.de Matrim. & plures. Alii vero, indifferenter docent, Dispensationem Tacitam habere locum, in quocunque potente Dispensare, sive in Jure suo, sive Superioris. Ita Medina, Antoninus, Lopes, Angelus & Suarez de censuris. disp. 41. sect. 3. & lib. 6. de Leg. cap. 13. num. 13.

Cum igitur utraque opinio graves habeat Authores, eam indecisam relinquo, & ad eos remitto.

* * *

CAPUT XXVI.

De Potestate Dispensandi.

Quotuplex sit hæc Potestas? & qualiter ea competat Episcopis? & aliis, circa LEGES Superiorum? Ac illis qui habent potestatem delegatam?

HÆc Potestas, distinguitur in Ordinariam & Delegatam. Ordinariam habet, qui LEGEM tulit; quia ab ejus voluntate & potentia dependet. Idem est de Superiore illius, dummodo formaliter sit Superior in Jurisdictione. Unde Papa potest Dispensare in LEGE Episcopi, ac toto Jure Canonico; imo etiam in quacunque LEGE Apostolicâ Humanâ, ut docet S Thomas quodlib. 4. art. 13. Et Covarruvias 2.p.cap.6. cum multis aliis.

Episcopus autem, non potest Dispensare in LEGE Papæ, vel Concilii nisi in casibus sibi concessis. Clement. ne Romani de Elect. cap. Inferior de major: & Obed. Covarruvias in 4 p.2. Rebuffus, Panormitanus, Cajetanus, Sylvester, & alii.

In quibus vero casibus, censeatur Episcopis data Potestas Dispensandi in LEGE Superioris, docet Cajetanus in 1.2.q.91.art.4.

Quo-

Quorum Primus. Quando Jus ipsum, talem potestatem concedit, quod sæpe fit, per aliquam clausulam generalē; ut in Conc. Trident. sess. 24. cap. 6. Ideoque, quando in LEGE Pontificia additur, ut in eâ possit. Dispensari, eo ipso intelligi, Dispensationem committi Episcopo. Ita communiter Canonistæ, quos citat Suarez.

Secundo. Intelligitur facta hæc concessio Episcopis, ex rectâ ratione interpretante voluntatem superioris: ut, quando materia est levis, & parui momenti, ita, ut LEX non obliget ad mortale, & quando mandatum non est rigorosum, sed simplex statutum.

Similiter in iis, quæ frēquenter occurrunt, præsertim quando talis Dispensatio ordinatur ad bonum animæ, & ad tollendum vinculum conscientiæ, aut periculum peccandi. Unde in his frequentibus admitti posse Regulam pro praxi quotidie occurrentem: *Episcopum posse Dispensare in his omnibus sibi non prohibitis*, concludit ex Cajetano, Navarro, Ledesma, P. Suarez lib. 15. de LEGIBUS cap 14. num. 9. in fine.

Tertio: potest Episcopus Dispensare, in illis LEGIBUS, quæ licet emanent à Papâ, non sunt tamen pro totâ Ecclesiâ, sed pro tali Provincia, Episcopatu, vel commu-

nitate sibi subjectâ. Quod intellige, si nequeat sine Discommodo, Dispensatio petiab Auctore LEGIS, & si talis sit consuetudo. Ita Suarez loco citato num. 10.

Quarto concessa videtur, hæc Dispensandi Potestas, in casibus extraordinariis, quando necessitas revera magna est, & est periculum in morâ, vel impotentia adeundi Papam. Tunc enim ex rationabili interpretatione voluntatis Papæ, censetur Episcopus habere Potestatem Dispensandi, ut tradit Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 4 & lib. 8 disp. 9 Panormitanus, Sylvester, Felinus, Rebuffus, & communiter Doctores.

Quibus addenda est consuetudo, optima LEGUM interpres, & quæ ad Jurisdictionem acquirendam sufficit.

Parochi vero, & Animarum Curatores, quamvis non habeant ordinariam Jurisdictionem Fori externi, etiam voluntariam, ad quam pertinet Potestas Dispensationis, nec inveniatur Jus, illam tribuens. De consuetudine tamen, solent Dispensare, in casibus particularibus occurrentibus, in quibusdam frequentioribus præceptis, ut Jejuniis, Festorum observatione, quo ad vacandum ab operibus. Quæ consuetudo, ubi fuerit, servari poterit in LEGIBUS, circa quas fuit intro-

introducta : non autem extendi ad similes: quia est Juri contraria. Suarez li. 6. de Leg. cap.14 num.11

Quo ad Potestatem Delegatam in Dispensando, de qua supra dictum: Sciendum, aliquando Directam Jurisdictionem, immediate ipsi Delegato dari; aliquando vero dari facultatem, ei, qui Dispensandus est, ut eligat Personam, à quâ possit Dispensari, ut in Delegatione Jurisdictionis, pro Sacramento Confessionis, & Dispensatione votorum.

Quando igitur, datur facultas Dispensandi cum aliquo, in particulari, tunc hæc concessio aut Delegatio, sive Dispensatio, est stricti Juris. Ita Sylvester, Angelus. Francus, & alii Canonistæ.

Si vero, Delegatio Potestatis Dispensandi in aliquâ LEGE, generaliter facta fuerit, quo ad Personas, sine illarum expressione; tunc Dispensatio dicitur esse favorabilis, & latè interpretanda. Ita Covarruvias, Sanchez, & alii, quos refert Suarez lib. 6. de Leg. cap. 17. num. 11.

***

CAPUT XXVII.

An ad Dispensationem justam, causa etiam justa sit necessaria, tam, quo ad Dispensantem, quam quo ad Dispensatum? Et quæ sit justa causa? Ac quando Dispensatio reddatur invalida?

LEGISLATOR etsi Supremus Princeps, vel summus Pontifex sit, non potest licitè Dispensare in LEGE suâ, sine justâ causa, vel proportionatâ LEGI, in qua Dispensat. Est communis sententia Theologorum & Canonistarum S. Thomæ 1.2.q.97.art.4. Cajetani.q.96.art.4. Sotæ, Hostiensis, Panormitani & plurium aliorum. Nam Princeps licet sit Author LEGUM, non tamen est Dominus, sed Dispensator earum, qui debet esse fidelis, nam finis hujus potestatis est propter bonum commune; talis autem Dispensatio injusta, foret contra fidelitatem, & vel propter privatum commodum, vel utilitatem, & ita foret abusus Potestatis, unde foret peccatum mortale in principe, Dispensare in LEGE suâ, sine justâ causâ. Cajetanus in summâ, verbo Dispensatio. Covarruvias, Soto, Valentia, & alii, quia peccaret contra Justitiam Commutativam, Distributivam, & Legalem. Ita Soto, Anton. & Abulensis. Simi-

Similiter subditus, petendo dispensationem, sine causa, peccat mortaliter, quatenus inducit superiorem ad actionem iniquam, & sic ad illam cooperatur, præsertim si causam falsam alleget. Ita Covarruvias & Soto.

Quæ vero sit justa causa dispensandi, certo definiri non potest; sed arbitrio prudentis relinquenda, Communiter tamen ex Gratiano hæ tres assignantur: Necessitas, utilitas, & pietas, ad quæ ceteræ referuntur.

An sine justâ causa dispensatus, in usu talis dispensationis peccet, variant Doctores. Probabile tamen est, per se loquendo, & secluso scandalo, talem non peccare. Ita Soto l. 1. de Jus. q. 7. Sylvester q. 3. Angelus verbo, Dispensatio, Navarrus, & alij, præsertim, si secrete, & sine scandalo, utitur sua dispensatione, quando ejus usus de se non est malus, & propter honestum finem. Quod intellige, si dispensans habeat Potestatem Legislatoris, aliud est, si eam habeat ex commissione alterius, aut sit in LEGE superioris. nam sine justâ causâ taliter facta, dispensatio non valet sicut nec Pontificis, circa LEGEM Dei naturalem, sive positivam. Ita Navarrus citans cap. cum Inferior, de majori & obed.

Cavenda quoque est, in procuranda dispensatione Subreptio id est, narratio falsa, ac

Ob-

Obreptio, id est, narratio subdola, quę fit non expresso omni eo, quod exprimi debuit, & tacito eo. quod alioquin difficiliorem redderet dispensationem : nam taliter obtenta dispēsatio, invalida erit Sylvester verbo Dispensatio, & confirmat ex cap. 2. de Filijs Presbyt. in 6. De his etiam vide Azorium part. 1. Instit. moral. lib. 5. cap. 24. & P. Reginaldum in praxi lib. 13. tom. 1. cap. 19. sect. 2. & 3. num. 197.

CAPUT XXVIII.

De Consuetudine.

Quid sit Consuetudo? Quæ ad eam introducendam requirantur? Et quot habeat effectus.

NOtandum : Consuetudinem duobus modis sumi. Primo: pro ipso usu, & frequentibus moribus, seu actibus alicujus Communitatis, aut populi, & ita dicitur esse facti; vel pro ipso Jure, quod ex his oritur. Hoc modo sumptam, definit eam S. Isidorus, *quod sit jus quoddam moribus institutum, quod pro Lege suscipitur, cum deficit Lex.*

Igitur ad consuetudinem introducendam requiruntur inprimis, diuturnitas temporis, & actuum frequentia. Nam, licet consuetudo inchoari possit, ab aliquo actu insigni, quem cæteri postmodum imitentur: tamen, non nisi

nisi pluribus induci potest, ut constat ex definitionibus ejus, exigentibus mores, & actus frequentes. Usus enim est actus repetitus, & quidem interpolate, Bartol: in lib. de quibus D. De LL: Et ideo non sufficit, unicus actus, licet notus sit toti populo, vel collegio: nisi esset successivus, & haberet continuationem temporis, intra quod introducitur Consuetudo, text: singul: in ea. cum de beneficio, de Præbendis in 6. vel nisi esset Judiciarius talis, ex quo tanquam Notorio detegeretur consensus populi.

Quantum vero ad actus, ex quibus Consuetudo inducitur, attinet, ij debent esse uniformes. l. Nemo § Temporalis, D. de Reg. Juris, quia ex actibus, qui difformiter successerunt, remanet dubium, quid populus servare voluerit: cum tamen sicut Lex: ita & consuetudo debeat esse clara & certa, non autem obscura & dubia: Hostien: h. t. §. fin. Surd. Cons. 393. n. 23. Et ideo Consuetudo, quæ non fuit uniformis, non attenditur. Surd. Cons, 449. n. 7. ubi plures citat. Similiter, nec ex controversis, aut turbidis actibus. Farinac 1, parte decis. 56. n, 13. & 16. vel his qui à mera facultate, vel ex tolerantia procedunt, inducitur. Farinac. d. decis, 112. quia multa per patientiam tolerantur, quæ, si in judicium de-

du-

ducantur, exigente justitia tolerari non debent. c. Cum jam dudum x de præbēdis Debent quoque actus esse usitati publice, præsentibus & scientibus multis personis, ut inde dici possit, interveniſſe tacitus majoris partis populi consensus. Azor: in Sum: eod. quæ sit longa con: Farina: 1 p. Decis. 155. n. 4, & 2. p. decis: 318. n. 5. Imo, debent actus isti fieri animo inducendi consuetudinem Can: Consuetudo Dist 1.

Secundo requiritur, ut sit rationabilis, uti patet tum ex cap. ult. h. t. ubi, cum id decisum exstet, nec reperiatur Jus civile in contrarium, servari in utroque foro debet; tum ex eo, quod vim LEGIS habere debeat, & pro LEGE scriptâ, cum ea deficit, suscipi; atqui ratio est anima LEGIS, ut colligitur ex lib. scire LEGES. D. De LL. ideoque consuetudo, quæ est contra rationem aut veritatem, seu contra Jus naturale, vel divinum, vel bonos mores, nullius est momenti. Can: veritate, cum aliquod seqq. dist. 8. & corrupte dicitur can: Mala ibid. Et quidem tanto perniciosior, quo diutius durat arg: cap. ult. eod. tit. Erit autem rationabilis, si habeat conditiones LEGIS enumeratas, partim in can. Consuetudo dist. 1. partim in can. Erit autem LEX dist. 4. Quandoquidem, LEGIS au-

ctoritatem habere debeat, ut tamen LEX justa & rationabilis sit, & consequenter consuetudo, sufficit, quod talis sit ut in pluribus, licet non sit talis in singulis. Præsumitur autem rationabilis, si tanti temporis sit, ut ejus initij non extet memoria.

Tertio requiritur scientia Principis, ubi populus Principem Superiorem habet, & ejus saltem tacitus consensus. Scientiâ quidem, quia aliter nec adesse, nec præsumi potest tacitus Principis consensus, quam si usus ei sit manifestus.

Ut autem, non est de essentia LEGIS, quod sit scripta, quandoquidem, causa obligationis LEGIS, sit Potestas Principis, explicata & applicata per voluntatem ejus, aliquo signo externo, sufficienter expressam, ad quod nullo modo est opus scriptura: ita nec est de substantiâ seu essentiâ consuetudinis, quod sit scripta; non solum, postquam est introducta; sed nec, quoad ejus introductionem.

Quantum ad effectum consuetudinis, in genere spectat, ea est stricti Juris; & servanda solum in suis terminis, neque extenditur de casu ad casum. Surd. Cons. 407. n. 3. Nec de persona ad personam. Idem Cons. 371. n. 4. Nec de loco ad locum. Idem cons. 323. n. 13.

Fa-

Facit licitum, quoad forum fori, quod alias, esset illicitum, quoad evitandam pœnam temporalem. Surd. Cons. 327. n. 51 Tribuit jurisdictionem non habenti. c. Cum contingat, x de foro competenti can. Conquestus IX. q. 3 Attenditur autem ea, quæ viget in locis vicinis, quando deest propria. Surd. cons. 311. n. 16. Similiter attenditur ea, quæ est ultima: item ea, quæ est favorabilior. Surd. Cons. 448.

Consuetudinis; quæ est præter LEGEM effectus est, constituere Jus novum, ubi deficit LEX, can. Consuetudo dist. 1. obligatque non minus in conscientia, ad sui observationem, quàm LEX scripta.

Consuetudinis, quæ est secundum LEGEM effectus est, non Jus novum constituere; sed Jus dubium interpretari.

Consuetudinis contra LEGEM effectus est, tollere LEGEM humanam, seu civilem, sive canonicam, modo justa & rationabilis sit.

Tollit autem generaliter, si generalis sit: si vero sit specialis, abrogat specialiter in illo loco, in quo introducta est & viget.

An autem Consuetudo, contraria LEGI vel statuto, probetur per simplicem observantiam, an vero demonstrari debeat, quod

in contradictorio Judicio, fuerit obtenta, quæri potest. Posterius tenet Surd. cons. 393. n. 25. per l. De quibus in verbis, in omnibus D. de LL. & alios quos citat.

CAPUT XXIX.

An Consuetudo possit inducere aliquam LEGEM contra Ius divinum, vel naturæ? Et an LEGES humanæ, Ecclesiasticæ, & Civiles, per eam possint abrogari.

DICO primo. Consuetudo vel dissuetudo non potest inducere aliquam LEGEM, contra Jus naturæ. vel contra Jus divinum positivum, neque illud immutare, sive abolere. Ita D. Thomas hic q. 97. art. 3. ad 1. Et rationem reddit, quia, istæ LEGES, à divina procedunt auctoritate & voluntate, contra quam nihil valet consuetudo ab humana voluntate procedens: quia duæ possunt concipi viæ, seu modi, quibus consuetudo prævaleat contra LEGEM aliquam, nimirum per conniventiam Legislatoris, & per præscriptionem etiam, absque tali conniventia. Obtinet autem consuetudo per conniventiam quando Legislator illam tolerat, sciens & volens, nec punit Transgressores LEGIS, quos facile corrigere & punire posset. Præscriptionis autem viâ, prævalere etiam aliquis, proprie censetur, quando etiam, renitente

tente Legislatore, per frequentes actus contrarios, certo annorum curriculo obtinet; Neutro autem istorum modorum, potest contrariorum actuum frequentatio, prævalere contra LEGEM naturæ, vel divinam positivam. Non enim per convenientiam; quia licet non semper ex incontinenti, prævaricatores, divinæ LEGIS Auctor, Dominus Deus, verus & perfectus Legifer, puniat, nihil tamen absolute dissimulat, aut impunitum relinquit, scilicet omne peccatum, quod contra Deum committitur.

Neque etiam via Præscriptionis, quia hæc vim suam habet, ab Humana Potestate & institutione: unde fit, quod non una eademque sit regula, & mensura Præscriptionis in omnibus, sed quædam res & jura breviori, alia longiori tempore præscribuntur, secundum quod, LEGES & Canones ordinarunt; Atque non potest humana Potestas, quicquam statuere, in Præjudicium potestatis & LEGIS divinæ, sive naturalis, sive positivæ: Ergo &c.

DICO secundo: LEGES humanæ, tum civiles, tum Ecclesiasticæ, possunt consuetudine rationabili, non tantum viâ conniventiæ, sed etiam via legitimæ Præscriptionis abrogari. Et quidem, quoad priorem partem, non

non apparet difficultas ; quia probabile est, quod mutata Legislatoris voluntate, eaque exterius manifestatâ, LEX cessare incipiat. Atque per conniventiam ejusmodi, manifestatur, morali modo, mutatio voluntatis Legislatoris: quia non tantum per verba, sed etiam per alia indicia, solent hominum voluntates, foris innotescere. Ergo &c.

Hinc non requiritur aliquod determinatum tempus, ut hac viâ, LEX abrogetur, sed sufficit tempus illud, cum ejusmodi actibus contrarijs, sive LEGIS ommissionibus à Legislatore voluntarie toleratis, ac alijs circumstantijs, quod prudenter possit judicari, Legislatorem significare, voluntatis suæ mutationem, per istam tolerantiam, sive conniventiam: quia consuetudo in hoc casu non operatur ex vi Juris, sed ex vi naturalis significationis, & indicij voluntatis Principis unde hoc tempus arbitrio Prudentum relinquitur determinandum, ut docet Soto lib. 1. de Justitia, q. 7. art. 1. Suarez lib. 7. de LEGIBUS. cap. 18. cum alijs, unde etiam quidam Canonistæ inferunt, quando tota civitas vel communitas operatur, contra statutum, à se, independenter ab alio superiore editum, sufficere unum actum contrarium, ad revocandum, sive abrogandum statutum: quia videtur

tur unicus ille actus, satis significare voluntatem ipsius Legislatoris, de statuto revocando. Ita Abbas cum nonnullis alijs. Sed hoc verum esse non existimo, nisi forsitan ex alijs circumstantijs, manifeste constaret, communitatem non feciſſe talem actum, dispensando duntaxat in statuto, pro illâ vice sed feciſſe eum, animo abrogandi.

Probatur pars posterior ex capitulo finali de consuetudine, ubi sic habetur: licet etiam, longævæ consuetudinis, non sit vilis auctoritas, non est tamen usque adeo valitura, ut positivo Juri, debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis & legitime præscripta. Qua exceptione admittit Canon, quod consuetudo rationabilis, viâ legitimæ Præscriptionis; possit Juri positivo, scilicet humano, de quo ibi loquitur, derogare.

Quia obligatio & validitas LEGIS humanæ subsunt humanæ potestati & voluntati, sic, quod sicuti alia jura, & aliæ res humanæ, possunt per voluntatem hominis mutari, extingui, transferri; ita & ipsæ quoque LEGES humanæ; idque non tantum personali voluntate Legislatoris, aut Successoris ejus, sed etiam auctoritate, & quasi voluntate juris communis: etiamsi forsitan, personalis consensus Legislatoris, non accesserit, si supremi

Prin-

Principes ita constituerint: quemadmodum rerum dominia, non tantum personali voluntate Domini transferuntur; sed etiam LEGUM constitutionibus, atqui ex Canonibus & LEGIBUS constat, quod ita fuerit, à summis Principibus ordinatum & constitutum, quod rationabilis consuetudo & legitime præscripta possit contra LEGEM humanam prævalere. Ergo etiamsi non accedat Personalis voluntas Legislatoris: nihilominus per consuetudinem contrariam, sive dissuetudinem, poterit LEX humana mutari & abrogari. Ita Wiggers.

Notandum tamen est, multum discriminis interesse, inter duos illos modos, quibus dixi consuetudinem posse prævalere contra LEGEM: nam via conniventiæ, non requirit tam longum tempus, etiam in LEGE Ecclesiastica, sicuti via Præscriptionis; quia LEX non tam tollitur per consuetudinem, quam desinat esse, per mutatam voluntatem Legislatoris, cujus indicium est consuetudo opposita, voluntarie ab ipso Legislatore tolerata. Dico in Legislatore quia etiamsi v.g. Prætor sciret, & dissimularet, LEGE, sive Legislatore ignorante, non curreret conniventia, quæ ad LEGIS abrogationem valeret, quia debet esse conniventia illius, cujus

est LEX. Econtra vero, Præscriptionis via, requirit plus temporis, ut per consuetudinem, LEX abrogetur, quia hac via, LEX tantum tollitur; quando frequentatur usu contrario.

Notandum 2do. duplicem posse considerari Legislatoris consensum, in ordine ad effectum consuetudinis, unus potest dici Personalis, quia videlicet datur à persona Principis sive Legislatoris, expresse vel implicite, aliquo ejus proprio actu positivo, vel privativo: Alter, potest vocari consensus Legalis, sive Juridicus; quia non datur, per actum aliquem personalem Principis, sed per ipsum Jus ante conditum.

Notandum 3tio. Quando dicimus, vim Præscriptionis consuetudinem posse obtinere sine assensu Legislatoris, id intelligendum esse de consensu personali; nam generaliter loquendo, ut consuetudo vim LEGIS obtineat, necesse est, quod aliquis consensus Principis, sive ejus, penes quem potestas est condendi LEGES, accedat, saltem iste legalis; quod indicatur satis LEGE, de quibus digest. de LEGIBUS: ubi dicitur à tacito consensu videlicet superiorum, penes quos est Potestas, per dissuetudinem abrogari LEGEM.

Notandum 4to. Hæc tria esse diversa, non Usũ, Dissuetudinem, & Consuetudinem contrariam: nam non usus LEGIS, tunc proprie est, quando non occurrit occasio Legis servandæ. Dissuetudo autem tunc, quando casus LEGIS occurrit, & tamen omittitur quod LEX præscribit, ex aliquo neglectu, idque ad tempus continuatur Consuetudo vero contraria erit, quando occurrente casu LEGIS, fit contra LEGEM, non tamen ex aliquo neglectu, sive negligentiâ, sed quasi ex intentione, & animo inducendi contrarium, v.g. LEX aliqua habet, ut, qui tale Officium suscipit, debeat certum aliquod Juramentum præstare: Non usus hujus Legis erit, quando nullus tale Officium suscipit. Dissuetudo erit, si ab hujusmodi officium suscipientibus, non exigatur Juramentum, & sic non præstetur. Consuetudo contraria erit, si Juramentum etiam exactum, non præstetur, eoque non præstito, tamen officium obtineatur.

Dico 3tio. Non usu illo mere negativo, nunquam Legem abrogari, nec contra Legem præscribi, sed tantummodo consuetudine contrariâ, aut saltem dissuetudine, cum Interpretativo animo, non servandi Legem. Ratio diversitatis est, quia ille non usus nul-

lum secum importat communitatis consensum, aut voluntatem, inducendi aliquod Jus contrarium, aut Legis abrogationem quia tantum procedit, tanquam ex causâ extrinseca, & per accidens eo quod servandæ Legis casus non occurrat, non autem ex aliqua voluntate, omittendi Legem, quod requiritur, ut per actus aliquos, sive positivos, sive privativos, novum aliquod Jus inducatur contra antiquum: quia necesse est, quod actus fiant, animo inducendi talem consuetudinem, licet hic animus ordinarie, solet magis esse tacitus, quam expressus, unde Glossa in cap. ult: de consuetud: & alij plures docent, quod per actus ex ignorantiâ, vel errore factos, non inducatur consuetudo, quia sunt involuntarij, sive illa sit ignorantia facti, puta, quâ ignoretur, quod hi actus sint, contra talem Legem; sive Juris, puta quia ipsa Lex ignoratur, ut exponit Suarez lib. 7. cap. 12. Eo quod ignorantia impediat voluntarium.

CAPUT XXX.

An Consuetudo possit dici rationabilis: quæ adversatur LEGI rationabiliter latæ.

PRo hujus difficultatis explicatione observandum est, non hanc eadem esse, Consuetudinem aliquam esse simpliciter bonam &

&Consuetudinem esse rationabilem: quia ut consuetudo sit simpliciter bona, requiritur, quod actus & actuum frequentatio, ex eu sent malitiam, non tantum ex parte objecti, sed etiam ex parte operantium, & quo ad omnes circumstantias. Quæ non requiruntur omnia ut consuetudo possit dici rationabilis, sed ad hanc requiritur inprimis, quod non sit mala, ex parte objecti, sive, quod actus ejus, non sint intrinsece mali, neque tales, quod nulla humana potestate, possint cohonestari; quia tales actus, quantumcunq; diu frequentati, non possunt novum jus inducere, neque antiquum abrogare.

Itaque continuata frequentatio talium actuum, non meretur etiam, nomen consuetudinis, sed corruptelæ & abusus. Neque hoc tantum requiritur, quod ex objecto non sit simpliciter mala, sed etiam quod non includat aliquam indecentiam, neque adducat periculum mali. Cujusmodi sunt, quod Clerici incumbant venationibus, vacent Tripudijs, aut Ludis minus convenientibus, ipsorum ordini, aut statui. Item quod officia Justitiæ vendantur, vel quod Justitiæ Ministri, sive judices admittant munera.

Notat hoc Abbas ad capit. Cum inter de Consuetudine, ubi docet, omnem cõsuetudi-

dinem contra honestatem, sive decentiam (quæ semper aliquid simpliciter malum includit) esse irrationabilem: nihil enim istorum aut similium potest rationabiliter, per formam LEGIS statui; neque potest LEX quæ ejusmodi prohibet, abrogari rationabiliter, etiam per ipsum Legislatorem. Non vero censetur consuetudo, mox irrationabilis, quia est contra aliquam prohibitionem, vel præceptum humanum, sive civile, sive Ecclesiasticum, ut colligitur ex cap. ult. de consuetudine, & ex LEGE, de quibus supra citat. quæ plane supponunt, aliquando jus positivum humanum tolli per consuetudinem, quam volunt esse rationabilem, unde non debet consuetudo censeri irrationabilis ex hoc solo, quod sit contra LEGEM humanam, & ita docet Panormitanus in citatum ca. & alij plures Canonistæ, & Bartolus in LEGEM secundam, cod: quæ sit longa consuetudo.

Unde sequitur, non requiri etiam, quod actus, ex quibus consuetudo constat, careant omni malitia, ut habeatur illa rationabilis. Imo dicit Suarez lib. cit. cap. 18, §. Non necessarium esse quod tales omissiones, quibus LEX abrogatur, sint peccaminosæ, saltem in principio: quia inquit, si provenirent ex alia qua

quâ rationabili excusatione, non declararent voluntatem LEGI contrariam: ut si occurreret necessitas excusans: tunc enim non esset dissuetudo, sed purus non usus LEGIS qui ex omnium sententia, non sufficit, ad LEGIS abrogationem inducendam.

Quod si vero tam frequentes sint ejusmodi occasiones, sive necessitates, ut possint ostendere, LEGEM esse incommodam, aut inutilem, tunc consuetudo, non proprie abrogabit LEGEM, sed quia manifestatur ejus inutilitas, hinc per se emorietur, & cessabit. Idem docet latius Suarez eodem loco §. 25. ubi dicit, Cajetanum hoc loco ad secundum, & omnes ita sentire. Non tamen satis erit, ut consuetudo censeatur rationabilis, quod actus ex objecto, non sint inhonesti, neque indecentes, aut tales quorum frequentatio, & ordinarius usus sit periculosus, sed, ut æstimari possit rationabilis, in ordine ad LEGEM abrogandam.

Requiritur etiam, quod adsint rationes, quæ licet sufficientes non sint, ut per se LEGEM extinguant, tamen sint tales, quod Legislator propter illas possit rationabiliter LEGEM mutare, aut abrogare: quamvis enim LEX rationabiliter lata sit, & etiam rationabiliter perseveret, ob certos respectus,

possunt tamen concurrere aliæ rationes, ob quas etiam rationabiliter à Legislatore queat mutari, quemadmodum duo contraria, possunt simul esse probabilia. Et si in altera parte forsitan sit aliquis excessus, non mox efficit alteram partem irrationabilem, sicuti, quod una pars contradictionis sit probabilior, non facit alteram improbabilem.

Ex his patet Responsio ad difficultatem propositam. Dicendum enim est, quod supposità honestate, ex parte materiæ, quoad non repugnantiam, cum LEGE naturali, vel divina, & remota indecentia, quod sufficiat ad consuetudinis rationabilitatem, quod suffulciatur quibusdam rationibus, ob quas Legislator posset rationabiliter LEGEM mutare, si vellet, quamvis non sint tales, quæ faciant LEGEM per se cessare, sive emori. Rationabilis enim, tunc est illa legalis voluntas, sive consensus Legislatoris, quo consentire judicatur, in LEGIS abrogationem.

Quod autem per actus malos, saltem abinitio, Legis abrogatio fieri possit, hoc mirum videri non debet: quia actus illi non concurrunt, tanquam causa per se istius Abrogationis, sed tanquam causa per accidens, & causa, sine qua non: nam causa per se, est Legalis

galis voluntas sive jus, quod voluit Legem cedere aliquando consuetudini inolitæ, quæ subnixa sit probabilib⁹ saltem rationibus, ob quas Legislator possit rationabiliter Legem mutare; quod secundum rectam rationem ordinatum est pro subditorum commoditate cum regimen communitatis sit suavius: Interim vero, quod tandem resultat, ex ejusmodi consuetudine non est malum, cum similes actus postea fiant, sine malitia, ablata nimirum Lege, & in hoc consentire censendus est Princeps, abrogando Legem. Et hoc modo, licet consuetudinis illius actus, quibus constat, sint irrationabiles, prout fiunt, (videlicet contra Legem) non tamen in substantia, sive ab intrinseco: quia possunt licite fieri, ablata scilicet Lege, quia Princeps propter istam consuetudinem prudenter & rationabiliter potest Legem abrogare, & sic consuetudine completâ, & Lege abrogata, actus postea licite fiunt, & jus quoque ad eos libere faciendos, justum est, quia non est, nisi quædam carentia sive solutio, à Lege prohibente, quæ rationabiliter auferri potuit. Ita Wiggers in 1.2.q.97.art.3.

CA-

CAPUT XXXI.

Quomodo actus Consuetudini, qui sunt contra Legem, possint contra eam præscribere, si sint malæ fidei, & quantum temporis requiratur, ut consuetudo præscribat contra Legem?

REspondeo, quod licet in principio facientes contra Legem, peccent, & malæ fidei agant, tamen eorum successores possunt præsumere ex aliquâ justâ & sufficiente causâ, vel ex Principum conniventia, non fuisse servatam talem Legem, atque ita bonâ fide continuare non observationem. A tempore autem istius bonæ fidei currere tempus requisitum ad Præscriptionem. Deinde videtur etiam fieri posse, quod talis consuetudo à bona fide inchoetur, puta si subditi probabiliter putent, materiam Legis sive circumstantias, ita esse mutatas, ut Lex cessare debeat, & eo nomine non observant, quia existimant, Legem amisisse vires suas, licet interim, revera istæ rationes non sint tantæ, quod propter illas Lex per se desierit esse, nihilominus tamen ex illâ suâ opinione non observant Legem, idque per debitum tempus continuant.

Hinc etiam non videtur absolute necessarium, quod actus contra Legem, quibus ea tollitur, ab initio sint peccaminosi quod su-

pra dictum est, docere Suarez; licet necessarium sit, quod Lex cognoscatur, & quod actus sint contra Legem: quia non est necessarium, quod contra facientes existiment, aut sciant, Legem adhuc habere vires; sed satis est quod velint simpliciter non facere, quod Lege continetur, sic quod nolint hoc amplius tanquam Legem observare, sive ex contumaciâ, sive ex aliquâ probabili ratione, & bonâ fide. Ita ex Cajetano & Panormitano in cap. 1. de Feudis. Wiggers loco citato.

Quo ad tempus vero quod requiritur, ut consuetudo præscribat contra Legem? Respondeo breviter cum distinctione, quam Doctores omnes adhibent, scilicet quod ad præscriptionem contra Legem civilem requiratur, ac etiam sufficiat tempus decem annorum. Ad Præscriptionem vero contra Canones requiratur tempus annorum 40. uti etiam in Nucleo meo de Jure & Justitia capit. 7. docui. Prior pars patet, quia Jus civile, sive ad Legem inducendam, sive ad eam abrogandam, requirit tantum tempus longævum, ut constat ex lege de quibus, tempus autem longævum ut in eodem Jure definitur est tempus decem annorum, ut habetur in constit. de usucapionibus. §. 1.

Posterior pars est communis sententia. Ita

Innocentius in capit. cū Dilectus de Consuetudine. Panormitanus in capit. ult. & capit. 1. de Feudis & pace Antoninus 1. part. tit. 6. §. 4 Sylvester verbo Cōsuetudo q. 4. & alij summistæ ad idem verbum.

Et probari potest, quia Præscriptio legitima contra Ecclesiam requirit tempus 40 annorum juxta Capitulum ad aures, cum aliis tit. de Præscr. Consuetudo autem contra Canones potest merito dici contra Ecclesiam, cum sit contra Ecclesiastica Jura, & ideo ejus Præscriptio, ut sit legitima, debet esse quadragenaria.

CAPUT XXXII.

An Consuetudo rationabilis possit inducere Legem non scriptam, & quid ad eam in tali casu requiratur.

REspondeo, quod possit inducere Legem non scriptam, ubi Lex non erat, idque tum via conniventiæ, tum via Præscriptionis Suarez lib. 7. de legibus cap. 16. addens, quod etiam possit Legem pœnalem inducere, ubi in primis hoc

Notandum est, quod licet consuetudo facti, aliquando sit irrationabilis, v. g. quia actus sunt contra Legem naturæ, aut divinam, vel contra honestatem. Nunquam tamen consuetudinem Juris posse esse irrationabilem, si-

sicuti LEX non potest esse irrationabilis, aut iniqua: quia, quemadmodum LEX eo ipso, amitteret rationem LEGIS; ita quoque Consuetudo, quantumcunque diu fuisset frequentata, si sit irrationabilis, non potest Juris, sive LEGIS non scriptæ rationem obtinere. Conclusio autem est communis & certa, & patet ex utroque Jure ff. LEGE, de quibus supra cit. cum aliquot seqq. & cod. quæ sit longa Consuetudo fere per totum, & ex toto tit. de Consuetudine tum in Decretalibus, tum in Sexto.

Ratio reddi potest: quia, in consuetudine rationabili, possunt concurrere omnia, quæ requiruntur ad Jus aliquod inducendum sive ad LEGEM ferendam. Quia potest esse circa materiam honestam & utilem communi bono, ut per se constat, & potest concurrere legitima potestas, ac simul etiam voluntas ejus qui potestatem habet.

Quæ in primis manifesta sunt, si sit consuetudo populi liberi, Superiorem non habentis: nam in tali populo, potestas est, condendi LEGES, & ejus voluntas quoque adest, nam, ut censeatur esse Consuetudo Populi liberi, debet concurrere major pars, tum Populi communis, tum Magistratus, in illius observatione. In cæteris vero ad vo-

luntatem Populi, sive majoris ejus partis, accedit consensus Principis, vel per Consuetudinis approbationem, vel aliquibus ejus indiciis demonstratam, vel ipso Jure declaratam.

Observandum hic est, quamvis vis Consuetudinis obligandi, procedat maxime ab eo, qui LEGES instituendi, habet potestatem nihilominus tamen, hic valdè attendendum esse, ad Populi sensum, & intentionem, quia LEGISLATOR, censetur hic se accōmodare Populi voluntati, & ei quasi mutuare potestatem, inducendi Jus, sive se habere, tanquam approbans, & confirmans, quod populus intendit & agit.

Undè ad hunc effectum LEGIS inducendæ, non satis est, quod Populus aliquamdiu frequentet, quomodolibet actus aliquos, sed oportet, quod ita frequentet, ut intendat Consuetudinem inducere, propter communem utilitatem, vel honestatem Religionis, & Consuetudinem quidem obligantem: nam de ratione LEGIS in communi est, quod sit intenta à Principe, undè etiam, hoc ad rationem Juris Consuetudinarii requiritur, quod sit à Populo intentum: quia Princeps, hic non censetur concurrere, nisi secundum Populi intentionem.

Ad-

Addidi, quod debeat intendi, non tantum, ut Consuetudo quædam fiat, sed etiam, ut nascatur obligatio. Ita enim docet Glossa in Capit. Frustra d, st. 8. ubi dicit, ad Consuetudinem necessarium esse, ut eo animo & intentione servetur, ut Jus in posterum fiat. Hinc multæ sunt laudabiles Consuetudines antiquæ in Populo Christiano, quæ tamen vim LEGIS non habent, neque obligant ad sui observationem.

CAPUT XXXIII.

Quantum temporis requiratur, ut Consuetudo LEGEM inducat?

REspondeo: ut viâ quasi Præscriptionis id fiat, requiri tempus decem annorum, illudque etiam sufficere, non tantum in materiâ civili, sed etiam in materiâ Canonicâ, modo non sit contra aliquem Canonem jam constitutum. Ita docet Glossa locis supra cit. & Panormitanus similiter cum aliis Canonistis. Item Covarruvias li. 1 variarum cap. 17. num. 8. Et Navarrus in summâ cap. 13. n. 19. Et quidem, quod in materiâ civili, ita res se habeat, manifestum est, quia, uti supra dictum, Jus Civile, sive ad LEGEM inducendam, sive abrogandam, per consuetudinem, requirit tempus longævum, cujusmodi

declá-

declarat esse tempus decem annorum.

Quod vero, etiam similiter se habeat, in materiâ Canonicâ, ubi non est contra Jus, sic potest declarari. Quia in illis, quæ non sunt contra Jus, non requiritur quo ad similia plus temporis, ad Præscriptionem, Jure Canonico, quam Civili. Unde non est fundamentum, requirendi plus temporis, in materiâ Canonicâ quam Civili, præsertim, cum istæ LEGES tendant ad majorem Religionis honestatem, & convenientem cultum. Ita Wiggers loco cit.

Quantum vero ad tempus, ut Consuetudo habeat vim LEGIS, viâ conniventiæ, sive tacitæ approbationis Personalis Principis, non est necessarium decennium, sed brevius tempus potest sufficere. Verum tamen, illud non est, certo annorum numero, à Jure definitum, nec commode definiri potest, quia sufficiens signum tacitæ voluntatis Principis approbantis, seu confirmantis consuetudinē, juxta intentionem populi, cum in factis consistat, pendet ex diversis conjecturis, quæ nō sunt æquales, in omnibus consuetudinibus, atque ita potest in aliquibus, breviore tempore constare sufficienter de Principis voluntate, quam in aliis: nam quædam sunt, quæ frequentiorem habent usum, & magis com-

mu-

munem, ac publicum, quam aliæ. Item in aliquibus occurrunt plures occasiones, quibus insinuentur, voluntas, & assensus Principis, quam in cæteris.

CAPUT XXXIV.

Quas Personas obliget Consuetudo? & an Laicorum Consuetudo possit obligare Clericos?

REspondeo Consuetudinem æquiparari Legi scriptæ, hac in parte, nam sicut Lex obligat subditos, ita & consuetudo, & sicut Lex non obligat extra Territorium, pro quo fertur, ita nec Consuetudo, unde si hæc sit universalis totius Ecclesiæ, omnes Christianos indistinctè obligabit, si solius Regni alicujus aut Episcopatus, omnes illius incolas respective, & sic de cæteris communitabus cum proportione.

Generalis autem regula est, quod Consuetudo unius Communitatis, non obliget alteram distinctam, quia una non habet Potestatem imponendi alteri Legem, neque adhoc censetur Princeps præbere suum consensum. Idque adeo verum est, ut Consuetudo Episcoparus Romani, quâtenus est particularis Ecclesia, non obliget Ecclesias alias, ut notat Panormit. in cap. ult. de feriis. Quod etiam

etiam ex usu & praxi satis est manifestum.

Hinc constat, quod si Consuetudo sit in materia Civili, quæ vim suam sortiri debeat, ex consensu Principis sæcularis, non eam obligare clericos, per se loquendo, quia Princeps sæcularis, etiam per expressam voluntatem, non potest obligare clericos, ergo minus per tacitam. Imo nec possunt Clerici consentire, in aliquam subjectionem contram suam Exemptionem, & Ecclesiasticam libertatem, ut alibi latius docebitur.

Quod si materia sit mixta, ut si pertineat ad Policiam civilem, & Ecclesiasticam, & in utrâque servetur per utriusque status homines consuetudo communis, tunc erunt quasi duæ Consuetudines, & à parte rei duo jura. Unum Civile, habens vim à consensu principis Laici, & alterum Ecclesiasticum, habens vim à consensu superioris Ecclesiastici.

Denique si materia sit spiritualis, & ad bonum Animæ tendat, ut Jejunium, festivitas alicujus dici ad Divinum cultum, sic quidem erit una consuetudo, & obligabit Clericos & Laicos, quatenus vim accipit ex consensu & Potestate Superioris Ecclesiastici, qui in utrosque habet Jurisdictionem, Ubi etiam non considerantur subditi, tam ut

Laici

Laici vel Clerici distincti ordinis, quam ut omnes Christiani.

Imo potest, vsus Laicorum, inducere Consuetudinem, cujus obligatio, etiam ad Clericos se extendat, si tacita Episcopi adsit voluntas, inducendi Jus Episcopale, pro suâ Diecœsi Quod, & præsumetur, etiam ita velle, quando materia Consuetudinis, de se, Communis est Clericis, & Laicis, & æqualiter utrosque decens, ut non possit sine scandalo, his magis quam illis imponi obligatio. Idque præsertim, quando tota Respub. simul in hoc convenit. Qua respectu talis Consuetudinis, non consideratur Populus, vt Laicus distincti ordinis, contra Clericos, sed ut Christiani, quod utrisque commune est; unde eiusmodi Consuetudine, possunt vincere Clericos, & etiam in ordine ad illos eam introducere, vide Suarez lib. 7 de Lege Cap. 16. § 13. Secus res se habebit, si aliqua sit specialis ratio, cur magis, illa consuetudo, conveniat Laicis, quam Clericis, quia tunc merito, censentur inchoare, & frequentare talem Consuetudinem, quatenus sunt, ordinis & status distincti, contra Clericos, atque ita eiusmodi consuetudo Clericos non afficiet, ita Wiggers in 12. q. 97. art. 3.

CAPUT

CAPUT XXXV

An consuetudinis vis, etiam locum habeat in Lege Pœnali? & irritante? & Prohibente consuetudinem contrariam?

DIco primo. Consuetudo, potest Legem pœnalem totam tollere, ita Panormit. in Capi. 1. de feudis & pace, cum aliis, quia etiam Consuetudo contra ejusmodi Leges, potest esse rationabilis, & proinde per connivent iam superioris approbari, vel etiam legitimo tempore præscribi, quo Lex abrogatur, ut patet ex capitulo ultimo de Consuetudine, quod generaliter loquitur, suppositis duabus illis conditionibus, quod Consuetudo sit rationalis, & legitime præscripta.

Dico secundo. Potest quoque Lex pœnalis, derogari quo ad pœnam, & manere quo ad obligationem ad culpam; ita etiam Panormit. & Navarr. contra Castro. li. 2. de Lege pœnali. Probatur 1mo. exemplis, nam olim filii Clericorum, nascebantur servi ipso Jure, in pœnam paternæ incontinentiæ, Capitulo cum multa dist. 15. & tamen per dissuetudinem, abrogata est pœna, manente obligatione ad culpam ut ibi notat Glossa.

Fundamentum est, quia potest, aliquando rationabiliter, auferri obligatio ad pœnam, ipso

ipso facto incurrendam, etsi LEX maneat, nam ita Pontifices aliquando, etiam in Ecclesiasticis constitutionibus fecerunt. Nihil etiã obstat, quo minus, etiam illud possit fieri, per aliquam consuetudinem & consensum tacitum superioris, sive personalem, si Legalem. Neque hoc tendit eo, ut delicta maneant impunita, sed ut aliis modis, & pœnis, magis opportunis, ratione temporis & personarum prohibeantur & castigentur. Ita Wiggers loc. cit.

Dico Tertio. Quamvis ex Naturâ Rei, natum sit sequi, quando consuetudo tollit Legem, quo ad obligationem directionis, simul etiam tollat, quo ad obligationem, ad pœnam sive latam, sive ferendam. Nihilominus tamen potest fieri aliquando, ut consuetudo deroget Legi, quo ad obligationem ad culpam, relicto debito ad pœnam, generaliter & improprie dictam, modo tamen, pœna talis sit, quæ non intrinsecè & quasi essentialiter supponit culpam.

Notandum vero; discrimen inter abrogare Legem, & derogare, quia scilicet dicatur derogari, cum pars aliqua detrahitur, abrogari vero, cum prorsus tollitur, ut habet Glossa ad L. derog. ff. de verbor. signif. quia potest ejusmodi Consuetudo, aliquando esse

ratio-

rationabilis , quâ luatur mulcta aut quasi mulcta, ab illis, qui faciunt id, quod Lege fuit prohibitum , etsi absoluta prohibitio non subsit, quia scilicet erat Lex pœnalis copulativa, quæ transierit in pœnalem distinctivam, quia sæpius ob justas rationes, instituuntur ab initio, hujusmodi ordinationes sive statuta, V. G. vel omnes, tale vel tale faciant, vel talem, vel talem, pecuniæ summam pendant, aut aliam pœnam subeant. Patet hoc usu in pluribus.

Dixi antea, quando pœna talis est, quod non supponat intrinsece culpam, quia quando talis est, non potest LEX derogari, quo ad obligationem directionis, quin etiam derogetur, quo ad, ejusmodi pœnam; tales autem, sunt Ecclesiæ Censuræ, unde LEX quæ prohibet aliquando, sub pœna Excommunicationis, ipso facto incurrendæ, non potest derogari quo ad prius, quin etiam derogetur, quo ad incursionem, talis pœnæ, quia hæc pœna, intrinsece supponit culpam & inobedientiam.

Dico quarto. Etiam irritantes Leges, possunt contraria consuetudine abrogari. Ita docet Innocentius in capitulo de cognatione spirituali agens de impedimentis Matrimonii Turecremata in capitulo placuit dist.

32. Sanches

32. Sanches lib. 7. de nutrim disp. 4. n. 4. quia, potest non minus, contra Legem irritantem, suboriri consuetudo rationabilis, quam contra alias Leges, nulla enim hic apparet diversitatis ratio. Contingit enim, aliquando rationabiliter mutari LEGES irritantes, per expressam voluntatem Legislatoris, ut patet in impedimentis Matrimonii, quæ antiquitus, solent se extendere ad quintum, & ulteriores gradus consanguinitatis, & aliis quæ sustulit Concil. Trid. ergo, si ex iisdem, rationabiliter inchoaretur Consuetudo quædam, non deberet illa censeri irrationabilis, quæ proinde cum tempore, poterit esse legitimè proscripta, aut per tacitum consensum Legislatoris, approbari, si sciat, & toleret cum impedire posset; Et probatur ex Glossa, in cap. frustra dist. 8. Ubi dicit, personam ineligibilem, consuetudine fieri eligibilem, utique abrogando Legem, aut faciendo illum inhabilem ut eligeretur.

Dico quinto. Non poterit per consuetudinem contrariam, abrogari LEX, quæ reprobat consuetudinem contrariam, quamdiu eædem maneant rerum circumstantiæ; Illis tamen mutatis, poterit etiam Consuetudo, Legem mutare. Ratio prioris Partis est, quia hoc ipso, quo LEX reprobat consuetudinem, decla-

declarat illam esse irrationabilem, aut corruptelam, quam diximus nihil posse valere, sive ad Legem inducendam sive abrogandam, Ratio posterioris Partis est, quia non omnis consuetudo quæ reprobatur ideo reprobatur, quod sit contra Jus Naturæ, aut Jus Divinum, sed aliquando, propter aliquâ indecentiam, vel propter plura pericula, aut graviora incommoda Communitatis, quæ cum tempore possunt mutari, ac proinde, quæ uno tempore, esset Consuetudo irrationabilis, poterit alio tempore, esse rationabilis, & sic desinere esse reprobata.

CAPUT XXXVI.

An Consuetudo habeat Vim interpretandi Leges?

Respondeo affirmativè, Patet ex capit: cum dilectus de Consuetudine. Item ex Lege minimè & ex L. si de interpretatione ff. de Legibus, sed pro pleniori intelligentiâ conclusionis.

Notandum est, dupliciter posse Consuetudinem interpretari Legem, uno modo, sic, quod tantum sit index & quasi testis, Veri & germani sensus Legislatoris, qui ex Consuetudine observandi Legem, colligi potest, tanquam probabili, vel moraliter certo argumento

gumento, nisi aliunde de contrario constaret, cujus quidem argumenti tanta est efficacia, quod Doctores frequenter dicant; Legem esse interpretandam, juxta Consuetudinem loci, etiamsi oporteat verba Legis, minus proprie exponere, Vide Glossam in capl. nonnulli de rescriptis; Quod etiam, locum potest habere, in Consuetudine antecedente Legem, si nimirum ad ejus conformitatem, vel confirmationem, Lex sequens appareat lata.

Alio modo, potest Consuetudo interpretari Legem, tanquam scilicet causa concurrens, ad introducendum, vel stabiliendum aliquem sensum Legis, ejusque observationem, qui forte, minus cum prima Legislatoris mente congruat, vel plus aut minus contineat; Et hanc Virtutem, intendunt potissimum Auctores, ascribere to Consuetudini, quando conclusionem supra positam tradunt, Et probari potest, quia, non est necessaria, major auctoritas, nec expressior Voluntas Legislatoris, ad Legem ita introducendam, quam vel ad novam Legem inducendam, vel quam ad inductam, abrogandam vel derogandam. Quod Consuetudinem præstare posse, jam supra demonstratum est.

Hinc fit, quod, licet aliquando ex verbis,

aut materia Legis, sit ambiguum, utrum sub mortali obliget, & sic per se sumpta foret, in benigniorem partem interpretanda, nihilominus tamen, si constet, eam Consuetudine esse receptam, tanquam graviter & sub mortali, obligantem, debeat illa censeri hoc modo obligare, ut docet Sylv. verbo. præcept. n. 2. & Caiet. 2. 2. q. 186. ar. 9. ad 2. & Navarr. cap. 20.

Notandum Denique. Posse consuetudinem, non tantum Legem Humanam, sed etiam Divinam & Naturalem interpretari, non quidem posteriori modo, scilicet minuendo vel augendo, vel ad aliquem alium sensum transferendo, sed modo priori, scilicet vindicando Legislatoris sensum, & mentem. Sed ut in hac parte, sit certa significatio, vel explicatio, debet esse universalis Ecclesiæ traditione, vel Pontificis auctoritate comprobata Ita Wigg. loco Cit. in 12. q. 97. ar. 3.

Cætera vero, quæ de Lege veteri, dicenda forent S. Thom. à quæst. 98. usque ad q. 10. 6. in 12. tractavit, uti & de Lege nova à quæst. 106. usque ad 109. Quæ omnia tam clarè & dilucidè, ab eo tradita sunt, ut vix alia explicatione egeant Ideoque ad illum Angelicum fontem, me refero, præsertim, cum pauca quædam, quæ in illis obscura forte vide-

videbantur, ea ex aliis in hoc Nucleo, iam ante adductis facile intelligi & enodari possint. Unde loco huius Materiam, magis practicam de Privilegiis & Rescriptis explicabo.

CAPUT XXXVII.

DE PRIVILEGIO.

Quid sit; & quomodo diuidatur?

PRivilegium, à privatâ, LEGE dictum, duo includit & significat scilicet Jus ipsum, seu gratiam concessam Priuilegiario, & mandatum ipsum, seu Instrumentum, quo Princeps Alicui concedit singularem gratiam. unde hic agimus de Priuilegio, ratione Juris & Gratiæ. quia est veluti substantia Privilegii & de toto Priuilegio. quatenus est LEX quædam Humana, quæ constituitur in genere signi.

Definitur Privilegium, quod sit Privata LEX, *aliquid speciale concedens.* Dicitur LEX Privata, ut distinguatur à cæteris LEGIBUS: nam aliæ concedunt Jus commune, hæc vero Privatum: quia Communitati, aut Privatæ Personæ, Jus concedit, præter commune. Cap. Abbate, de verb. Signif. & Cap. Privilegium: ideo de ratione

ejus est, ut concedat aliquid speciale, quia alias esset inutile.

Scriptura, non est de ejus substantiâ necessaria. Ita Nauarrus, Felinus Sylvester, & Alii. Quod intellige de foro cõscientiæ, non autem semper in foro Iudiciali, vbi Ius Positiuum probationem exigit. Ita Ludowicus Gome. in Reg. cancell.

Omissis Priuilegiis Diuinis, de quibus, hic non agimus, Diuiditur Privilegium Humanum, in Reale, & Personale. *Reale dicitur quod conceditur directè, alicui rei, muneri, vel conditioni, distinctæ à Personâ.* quia utilitas eius maxime versatur circa res, ut prædia, domos, merces, officium, & alias res similes, per quas redundat utilitas, in Personam, habentem talem rem, dignitatem, aut existentem in tali loco. PERSONALE *vero dicitur, quod immediate fertur in Personam ratione sui.*

Præterea dividitur Privilegium, in Perpetuum, & Temporale. *Perpetuum est, quod adhæret rei, de se perpetuæ, vel sine limitatione temporis conceditur, duratque,* quamdiu non revocatur. Temporale *vero tempore lapso finitur.*

Aliud etiam est Privilegium, quod datur propter privatum alicuius bonum, aliud

propter commune, aliud favorabile, & pro foro externo, aliud pro interno, de quibus late tractat Suarez li. 8. de LEGIBVS. cap. 6.

CAPUT XXXVIII.

Qui & quales possint Privilegia concedere? Qui eius sint capaces, & quid, si proprio motu datum.

OMnis, qui Legem condere potest, etiam Privilegia concedere potest. Ita S. Antoninus, Silvester, Hostiensis, & alii. è contra, qui Legem condere non potest, nec Privilegia dare potest.

Hinc, Papa maxime potest concedere Privilegia, in causa Spirituali, propter supremum eius Imperium. Ita Innocentius. In materia tamen temporali, non ita potest Papa, directè Privilegia concedere, nisi in propriis terris Ecclesiæ, ubi est Dominus temporalis. Suarez loco cit. num. 7.

Secundo. Possunt Episcopi, & omnes Superiores Prælati Ecclesiæ respective, sive cum proportione, Privilegia concedere, quatenus possunt constitutiones facere, non tamen, quo ad; vel contra Jus commune, vel Pontificium, vel latum à Superiore. Ita Hostiensis, Angelus, Tabiena, & Alii.

Tertio. Possunt Privilegiâ concedere,

Imperatores, Reges, aliique Principes, Temporales, supremi, in sua Ditione, & Materia, non vero in Spiritualibus. Silvester, Panormitanus, & alii.

Ille autem solus, Privilegii capax est qui Alteri subditus est, & aliquo modo inferior. Suarez. lib. cit. cap. 9. num; 3. & 6.

Subiectum vero actuale Privilegii, seu Persona, vel Res, cui actu conceditur Privilegium, illa tantum est, quæ in ipso Privilegio exprimitur. Suarez loco cit. cap. 10. num. 4.

Substantiâ formæ concessionis, consistit in verbis, quæ satis significant, concessionem alicuius gratiæ, aut specialis Juris, Alicui factam pro se, vel pro rebus suis, in perpetuum, vel ad certum tempus, vel indefinite. Ita Suarez cap 11. Hic num. 3.

Cum sint duo modi, concedendi Privilegia, uno ad petitionem & instantiam Alicuius, Alio, ex mero Principis arbitrio, seu voluntate ac libertate. & Motu proprio. Hinc, si hæc verba Motu proprio non addantur, intelligitur, Privilegium concessum, ad Alicujus instantiam, quod multum differt à Privilegio Motu proprio, concesso. nam hoc, etjam per subreptionem impetratum valet, ut multi docent, illud non. Ita Panormitanus cap. ad aures de Rescr. Felinus Rebuffus, & alii.

Nam

Nam hæc clausula tollit subreptionem.

Contrarium tamen docent Alii, si, per falsa narrata, tale etiam Privilegium, obtentum Motu proprio fuerit, quod est probabile. quia in tali casu, censetur defuisse consensus Superioris. Aliud esset si nihil veritati contrarium, fuisset narratum, sed Superior id proprio motu dedisset. Ita distinguit Suarez loco cit. cap. 12.

CAPUT XXXIX.

An Aliquis possit vbique, & quidem extra Territorium Privilegio suo vti?

PRivilegium à Papa concessum, simpliciter, & sine determinatione ad certum locum, ubique valet, nisi aliud constet de mente concedentis. quiâ in LEGIBVS indefinita locutio, æquivalet Universali, juxta Axioma Juristarum. Si vero Privilegium, ex parte materiæ & objecti, ponit determinatum locum, pro illo solo potest valere; tenor enim Privilegii servandus est, nec habet efficaciam, nisi ex mente Concedentis.

Inferiores vero Prælati, Episcopi, aut Principes, in his nil possunt, extra Territorium, vel diœcesin, si in his aliquid sit prohibitum, per simile particulare statutum illius loci. Ita Suarez. lib. 8. hic cap. 28. n. 7.

Potest tamen, Aliquis Privilegio sibi, à suo Episcopo, vel prælato concesso, licite uti, in alieno Territorio, quando actus est de se indifferens, & neque Jure communi, neque Particulari, talis loci est prohibitus, nec pendens, à speciali licentia talis Superioris. Sic habens Privilegium eligendi Confessarium, potest illo ubique uti. cap. de Pœnit. dist. 6. & tradit Navarrus. Siç etiam legitime dispensatum de comedendis Lacticiniis, in diebus prohibitis. Posse illo Privilegio extra Territorium uti, probabile esse, docet Suarez loco cit. num. 15.

CAPUT XL.

Qualiter Privilegium, quo ad suos effectus, sit interpretandum?

PRivilegium, quatenus est purum Beneficium, est amplè interpretandum; quantum recta ratio & prudentia permittit, cap. olim de verb. Signif. & L. cum quædam ff. de Liber & Post, & ita tenent omnes Canonistæ.

Privilegium vero derogans Juri communi, regulariter est reputandum odiosum, in ordine, ad interpretationem, & ita potius est restringendum. Ita Bartolus, Navarrus, Sanchez, Sylvester, & Alii, patetque ex Reg. Juris in

in 6. Hoc autem intelligendum, cæteris paribus, aliquando enim, tam necessarius, & pius esse potest, favor Privilegii, ut ampliandus sit, etiam augendo derogationem Juris communis. Sic Privilegium exemptionis Clericorum, etiamsi deroget Juri Communi, ampliatur tamen in favorem Religionis. Ita ex Tiraquello, & Suarez. Eadem ampliatio locum habet in Privilegio, Motu proprio. Ita Abbas, Rebuffus, & alii.

Privilegium, inferens Præjudicium tertiæ Personæ, contra Jus, quod jam habet, acquisitum, sub eâ ratione odiosum est, ita, ut restringi debeat, quantum possit: Quia non est mens Principis, auferri alteri Jus suũ, nisi id expresse declaret. L. Nec avus. c. de causa cap. Liber. Et Panormitanus in Cap. Certificari de Sepalt. Quia Jus unicuique illæsum servare, Jure communi, & etiam naturali postulatur.

Verba autem Privilegiorum, secundum proprietatem tenenda, & observanda sunt, &, extra illam, non sunt trahenda, ad restringendum Privilegium: nisi vel ratio JUSTITIÆ cogat, vel aliunde, talis voluntas Concedentis rationabiliter præsumatur. Quia, si Privilegium foret injustum, quo ad unum, daret licentiam ad actum iniquum, quod esset ab-

surdum. Ita Suarez li.8.cap.28.n.5.

Quo ad extensionem verborum in Privilegiis, sequentes Regulæ ab omnibus approbantur.

Prima. Privilegium nunquam est extendendum, ad alias Personas, aut alios actus, propter similitudinem rationis. Ita omnes canonistæ quiâ virtus Privilegii, merè posita est, in voluntate concedentis.

Secunda. Ampla etiam interpretatio Privilegii, semper est intra verborum proprietatem facienda, nisi maior omnino necessaria sit, ut Privilegium aliquid operetur. Glossa in Clem. per Litteras de Præb. Sanchez li. 8. de Matrim. disp. 1. n. 5.

Hæc autem proprietas verborum, sumenda est, ex usitatâ significatione, vel communi usu, secundum Jus Privilegio proportionatum, Ita Baldus, Silvester, & Alii. Ex. Grat: Hinc Privilegium, concedens Irregulari, ut fiat habilis ad Beneficia, intelligitur de simplicibus, nisi aliud explicetur, iuxta Caput ult. de præb. & sic in aliis. quia Privilegia non plus operantur, quam exprimunt.

Quando igitur, verba Privilegii, valde sunt ambigua, tunc principaliter quærenda, & conjecturanda est Intentio concedentis. Cap. Intelligentia & Cap. In his de verb. Signif.

Signif. Præterea ſpectanda eſt materia ſubiecta: nam, ad illam ſolent verba accommodari uti & omnes circumſtantiæ Perſonarum, & Cauſarum, diligenter attendendæ ſunt: nam hæc omnia conferunt ad mentem Principis intelligendam. ut docet Baldus, Jaſon, & alii.

CAPUT XLI.

An Privilegium expiret, per mortem Concedentis, & quomodo perdatur per non uſum?

PRivilegium ſemel ritè comparatum, non ceſſat, vel amittitur, per mortem Concedentis, per ſe, & ut ſpectat ad defectum & carentiam cauſæ efficientis. cap. Si ſuper gratiâ de offic Delegati in 6. Et cap. Is, cui nulla, de Præb. 1. in 6. Et eſt hæc generalis Regula, juxta omnes Juriſtas, habetque locum in omni Privilegio, etiamſi deroget Juri communi, vel alicujus Tertii. Ita Suarez li. 8. de LEGIBUS, cap. 31. n. 2. quia Jura abſolute loquuntur de gratiâ, & non diſtinguunt inter eam, quæ Alteri præjudicat: Ergo & nos diſtinguere non debemus. Immo, quamvis Privilegiarius, nondum incœperit uti iſtâ gratiâ, & adhuc res ſit integra, equidem gratia manet. Ita Archid, Rebuffus, Navarrus, Sanchez, & alii.

Sicut aliquis potest impetrare Privilegiũ, sic etiam potest renunciare, nisi vergat in Præjudicium superioris vel Tertii, & etiam potest perdere Privilegium, per non usum. Ita docet Innocentius, Panormitanus, Decius, Felinus, & alii in cap. cum accessisset, de Constit.

Hic autem modus amissionis Privilegii, tantum locum habet, in Privilegiis affirmativis, quæ aliquid faciendum indulgent. Duobus autem modis potest contingere, ut aliquis, non utatur hujusmodi Privilegio, quorum unus dicitur mere Negativus, alter Privativus, seu omissivus.

Priori modo non exequitur quis Privilegium, quando oportunitas, aut occasio, pro quâ datum est, non occurrit, & ideo talis non usus, quantocunque tempore continuetur, non sufficit ad amisionem Privilegii, quia non est morale Judicium voluntatis, renunciandi Privilegio. Ita sentiunt Baldus, Menochius, Panormitanus, & alii.

Alius modus, non utendi Privilegio affirmativo, est, quando in propriâ occasione, & pro eo tempore, quo concessum est, omittitur eius usus, &. talis vocatur usus omissivus, vel privativus, & censetur aliquod morale indicium voluntatis, renunciandi Privilegio Ita Suarez dicto libro, cap. 34. Pri-

Privilegia, quæredundant in gravamen, & quasi servitutem aliorum „ eatenus possunt Præscriptione amitti, per non usum Privilegiarij „ quatenus alij possunt contra illum præscribere. Sic Auctores supra citati..

Quæ vero non cedunt in aliorum gravamen, sed sunt favores speciales „ non amittuntur per non usum; vel aliorum Præscriptionem :: possunt tamen hæc per tacitam renunciationem amitti „ si interpretatio talis voluntatis sufficienter ex jure constet. Suarez cit. lib. cap. 34. n. 17.

Quanti vero temporis non usus sit necessarius, & requiratur, ut Privilegium amittatur, variant Doctores, Bartolus, Rebuffus, Feling, & alij dicunt, requiri, & sufficere decennium. Alij dicunt, ut alius contra Privilegiarium præscribat „ ob non usum nullum esse tempus in jure determinatum „ in ipso non usu, ad amittendum Privilegium, seu ex parte Privilegiarij : sed illud tempus esse necessarium, & sufficere, quod ex parte alterius tertij fuerit determinatum ad præscribendum „ contra hunc vel illum „ quod solet esse jure ordinario, decem annorum inter Præsentes „ viginti inter absentes. Aut extraordinario „ vel speciali jure, requiritur tempus triginta vel quadraginta annorum, cap. cum accessis-

set de Constit. & generaliter proceditur, in Ecclesiasticis, vel locis pijs, cap illud de præsc. quia in hujusmodi casu Privilegium non amittitur formaliter per non usum, sed vi Præscriptionis alterius, contra personam nō utentem. Ita Suarez lib. 7. de LEG. cap. 34. n. 20.

Privilegium quoque amittitur, per contrarium usum, si circumstantiæ necessariæ concurrant, si actus sint ipsius Privilegiarij. Secus vero, si sint alterius, pro quo non est datum Privilegium. Ita Glossa in cap. Gratum de offic. Deleg. Bartolus, Jason, & alij.

Non tamen omittitur Privilegium, per usum ei contrarium, quo ad usum futuri temporis, seu quo ad totam facultatem Privilegij, per solam tacitam renunciationem, sed debet legitima Præscriptio contra Privilegiatum intercedere. Ita ex Lopez in l. 24. tit. 18. Suarez cit. loco cap. 35. n. 10. Quia per solam contraventionem Privilegij non censetur quis, eidem prorsus renuntiare, nisi in eo, in quo venit contra Privilegium non in perpetuum, sed tantum hic & nunc, & in tali particulari materia.

Hinc non amittitur Privilegium simpliciter per unam contraventionem, sed secundum

dum quid, quo ad talem actum, si ab ipso Privilegiario, vel ejus auctoritate, scientia & voluntate fiat. Ita ex Lopez in lib. 42. docet Suarez.

Quantum vero tempus sit necessarium, ut amittatur Privilegium per contrarium usum, illud explicandum est, per viam Præscriptionis. Hoc autem est decem annorum inter præsentes & viginti inter absentes, nam hoc requiritur in servitutibus & juribus incorporalibus. Covarruvias l. 1. var. Res. cap. 17. & Alij.

CAPUT XXXXII.

An Privilegia semel concessa revocari possint.

PRivilegium concessum non subdito, & ab eo acceptatum, est irrevocabile, subdito vero concessum est revocabile à concedente. Ita Canonistæ in cap. Novit. de Judicio, Innocentius, Panormitanus, Decius, Hostiensis & alij.

Prior pars probatur: quia Privilegium non subdito concessum, & ab eo acceptatum transit in contractum. Ergo non potest revocari quia nullus Princeps habet Jus, privandi non subditum rebus suis, & legitime acquisitis, undecunque ad illum pervenerint. Quod vero de revocatione privilegij subdito con-

concessi, dictum, non est intelligendum de Privilegio dato, per contractum lucrativum quia Princeps etiam tenetur servare pacta cum subditis facta, quia hæc obligatio nascitur ex naturali Justitia; quæ etiam Principem obligat; Anto. Gab. lib. 3. de Jure quæsit.

Privilegium gratuitum, manens in pura natione Privilegij, id est, facultatis & licentiæ præter, vel contra Jus commune potest à concedente revocari libere, & sine causâ, saltem cogente, aut necessitatem inducente. Ita Panormitanus, Decius, Anselmus, Felinus, & alij. Quia hoc Privilegium non transit in dominium subditi, & ita semper procedet ex voluntate Principis, isque revocare potest, ut vero decenter fiat, necessaria est quædam honesta causa: quia non decet, Principem revocare Privilegium à se concessum, nulla nova insurgente causâ. Argumento cap. suggestum de Dec, undè, si Princeps id faciat, actus profecto non erit undique honestus, quia indecenter operari, culpâ aliquâ, non vacat, saltem veniali. Secus vero esse posset, ratione scandali, aut odij aut gravis nocumenti Proximi, quod licet injuste non inferatur, tamen esset contra charitatem, & sic posset esse culpa mortalis. Suarez lib. 8. de Legibus cap. 37. n. 10.

CAPUT

CAPUT XXXXIII.

DE RESCRIPTIS.

Quid sint Rescripta & quotuplicia, & quid ea impetrare possint?

Rescriptum est Principis concessio, per litteras authenticas legitime facta, sive sit secundum Ius, ut si mandetur: quatenus fiat Jus, *sive contra Ius aliquid concedatur*, veluti quod condemnatus adhuc audiatur: Nam, quod dicitur, rescriptum contra Jus, non valere, verum quidem est, nisi in Rescripto juri derogetur, ut in lib. fin. cod. Si contra Jus, &c. Nisi enim Princeps expresse deroget juri, oportet judicem judicare, secundum jus cap. si quando x eod. quia mens Principis præsumitur talis, qualis de jure esse debet.

Dicitur Principu, id est cujuslibet locum primum obtinentis, qui rescribere potest. Cujusmodi inprimis est Papa; cujus rescripta interdum vocantur Litteræ Apostolicæ. vel Rescripta Apostolica: & Rescriptum, quo alicui causa committitur, vocatur commissio. *Secundo* Imperator. Et hujus Rescripta vocantur Imperiales concessiones. *Tertio* Quilibet Princeps, non recognoscens Superiorem *Quarto* Cancellaria, sive Papæ; sive Imperatoris vel Regis, in suâ scilicet Provinciâ, ubi constituta est, ne impediant se mutuo. *Quin-*

to Legatus Papæ, collegium Cardinalium, & quicunque potest constitutionem condere, & habet Jurisdictionem, is potest Rescriptum condere. Hostiensis in summa hujus Tit. §. Quis possit &c.

Inferiorum vero concessiones vix dicuntur Rescripta; magisque Litteræ excommunicationis, restitutionis, commissionis, citatoriæ, inhibitoriæ, absolutoriæ appellantur.

Dicitur Concessio, Quia sola partis petitio non dicitur Rescriptum sed subjuncta ipsius Principis concessio. lib. 1. Nec damnosa. Etideo pars dicitur impetrare Rescriptum, quando ei conceditur. Et impetratum Rescriptum quando pars illud obtinuit. *dicitur per Litteras* nam solo verbo, concessio facta, non dicitur Rescriptum, nisi litteris expeditis: hæ enim sunt, quæ dicuntur Rescripta, & è contra.

Dicitur authenticas; quia alias non dicuntur Rescripta, cap. 1 & 2. x de fide Instrum: Dicitur denique *legitime facta,* quia non debet subreptitie, vel obreptitie impetrari.

Differt autem Rescriptum à Privilegio in pluribus: & inter alia, quod Privilegium sit contra Jus. Rescriptum vero regulariter sit secundum Jus, & ad observantiam Juris communis. impe-

Impetrare potest, quicunque non prohibetur cap.1.eod.in 6.sive sit Actor,siveReus etiamsi sit Filiusfamilias;quia non reperitur prohibitus.Nec obstat, quod sine consensu Patris non possit agere: quia impetrare Rescriptum non est agere. Quin etiam Monachus licet sit in undo mortuus, can: Placuit XVI.q.1.Et servis Dei non liceat frequentare lites,cap.2.2.de postulando. Tamen Rescriptum impetrare potest,in quantum illi convenire,& subservire valet.Rebuffus in d.Tract. de Rescriptis n.3.

Impetrare vero non potest,*Primo*Excommunicatus,c.1.eod,in 6.& ab eo impetratum super alio , quam Excommunicationis vel appellationis articulo, est ipso Jure nullum, sicut & id,quod inde secutum est : *Secundo*, Servus lib.1. cod. de precibus Imp.offeren. *Tertio*,Falsus aut revocatus Procurator, cap. ex parte x. eod *Quarto*,Hæreticus l.2.c. de summa Trinitate.

Sic nec Litteras ad Lites impetrare licet, sine speciali mandato,& talis impetrans,tanquam Falsarius punitur.c.ex parte Decani, c. Nonnulli ubi dicit, tale Rescriptum esse annullandum,per exceptionem,quia parte non contradicente valeret:sicut & si impetretur à conjunctâ Personâ,carnali scilicet, non etiam spi-

ſpirituali tantum conjunctione. Gloſſa in c. cum m. de Conſtit.

At vero Reſcriptum gratioſum poteſt ſine mandato impetrari. c. ex ore, ubi Abbas x. de his, quæ fiunt à majore parte capituli. Gloſſa in d. c. Nonnulli, §. ſunt & alij, ut v. g. Beneficiorum, Privilegiorum, Immunitatū. Ubicunque autem prohibebitur quis impetrare Reſcriptum, ſi impetret non valet; ſive prohibeatur ratione perſonæ ſuæ, ut Excommunicatus, hæreticus: ſive ob turpitudinem cauſæ finalis, ut in nuptijs ex Reſcripto petitis: ſive, quia res impetrata ſit à LEGE prohibita.

Impetrari poteſt contra quemlibet, ſive Clericum, ſive Laicum, ſive majorem, ſive minorem; modo is contra quem impetratur, ſubſit Iuriſdictioni Concedentis. Hoſtienſis hoc tit. § cōtra quem. Si tamen Minores & viliores Perſonæ in Reſcripto exprimantur, non intelliguntur Maiores & Digniores: nec ſuper maioribus & Gravioribus negotijs audiuntur, qui de minoribus dunuaxat mentionem fecerunt, etiamſi adſit clauſula. Et quidem alii, & res aliæ. cap. Sedes x. eod. Impetrari etiam poteſt contra impetrare prohibitum, veluti contra excommunicatum, ne ex malitia ſua lucrum & commo-

dum

dum referat, c. Intellectus x. de Judiciis. Citatio vero ejus contra quem impetratur ad impetrationem non requiritur; sed bene in Rescripti approbatione, si approbationē seu interinationem, ut vocant, requirat. Rebuffus d. loco n. 42.

Impetrari autem potest super omnibus, tam spiritualibus, quam profanis, c. 2. & per tot. x. eod. tam corporalibus, quam incorporalibus c. quærelam x. de Elect. c. Dispendiah. t. in 6. super Ecclesijs & Beneficijs. Sic tamen ut Papa & Ecclesiastici viri super Spiritualibus, Sæculares vero super temporalibus rebus, & in quibus casibus Judices sæculares de spiritualibus cognoscunt, ut in Possessorio rescripta concedant. Rebuffus d. loco n. 66.

Rescriptorum specialum in genere tria sunt genera, juxta triplicem modum, quo contingit S. Pontificem rescribere. Aut enim contra Jus rescribit, aliquid alicui concedendo, veluti immunitatem à collectis ut in lib. 1. & per tot. cod. de Immunit. conced. l. 10. aut decimis vel aliquem sua, LEGE solvendo vel cum aliquo dispensando, Aut rescribit ad lites; aut denique ad Beneficia.

Primi modi rescripta dicuntur Privilegia. Secundi modi, dum scilicet ad lites rescribit,

appel-

appellantur rescripta Justitiæ, & talia sunt cum Pontifex de jure partis obscuro consultus, aperit illud, & quid judex in judicando sequi debeat, ostendit. c. ex parte c. Sedes & alijs, x. eod. aut quando causa ad se devoluta, judicem aliquem delegat. c. 1. c, Nonnulli, & alijs x eod.

Dicuntur autem rescripta ad lites, seu justitiæ, tum quia ad justitiæ administrationem pertinent & referuntur: tum quia causam annexam habent, cur concedi debeant, nec sunt meræ gratiæ. Et hæc licet præter jus dentur in casibus scilicet à Jure non decisis: tamen dicuntur etiam dari secundum jus, quia vel ad juris interpretationem, vel ad juris debitam executionem dantur.

Rescripta denique ad beneficia, vocantur Rescripta gratiæ, quia nullam aliam causam habent, cur concedantur, quam concedentis meram liberalitatem. Hujusmodi Rescripta sunt, quibus Pontifex mandat alicui providere de Beneficio Ecclesiastico; & de his duobus rescriptorum generibus hic agimus: ita ut rescripta hic nihil aliud sint, quam S. Pontificis Epistolæ, ad lites vel ad Beneficia, ad supplicationem alicujus rescriptæ. Alioquin alia sunt Rescripta gratiæ, quæ à sæcularibus conceduntur, & sunt remissiones, gratiæ & in-

indulgentiæ. Alia solent dici rescripta communia, seu mixta, ut quidam vocant, quæ scilicet tum à Papâ, tum à sæcularibus Principibus concedi possunt, ut Rescriptum Legitimationis.

In omni autem Rescripto S. Pontificis hæc clausula, *si preces veritate nitantur*, semper subintelligitur. c. ex parte 2. c. olim x. eod. licet Rescripta Principis sæcularis de jure civili non valeant, nisi expresse eam clausulam insertam habeant, l. fin. cod. de diversis Rescriptis. Diligenter itaque cavendum, ne obreptitie, vel subreptitie aliquid impetretur

Tametsi autem obreptio & subreptio, sæpe confundantur, & pro ijsdem capiantur, communiter tamen ita distingui solent quod *Obreptio committatur, exprimendo falsum; Subreptio, verum tacendo*. Juxta notata per Innoc. in cap. cum dilecta x eod. Cæterum, qui subreptionem objicit, eam probare debet ei vero, qui falsum narravit, incumbit probatio illius, quod pro vero suggessit.

Si igitur dolo, seu malitiose, aut scienter impetrans, falsū in suo libello allegaverit, vel verum tacuerit, Rescriptum gratiæ, seu ad Beneficiū, est ipso jure nullum, c. sup. litt. c. ad aures h. tit. Sin per errorem, aut simplicitatē id fecerit, prout in dubio fecisse præsumitur

tunc

tunc distinguere solent. Nam si falsum narratum, aut verum tacitum sit tale, quod etiamsi totum negotium, ex veritate Pontifici fuisset narratum, is nihilominus verisimiliter, rescripturus fuisset, saltem in forma communi valet Rescriptum ad hoc, ut Judex delegatus causam definiat: non quidem secundum formam Rescripti, sed secundum ordinem juris d.c Super litteris, c. Ex insinuatione eod. tit. Si vero tale sit, quod ex veritate, negotio exposito, Pontifex verisimiliter, non fuisset rescripturus, puta, quia Canones dari vetant quod petitur; non valet Rescriptum. d. c. super litteris.

At Rescripta ad lites, per falsi suggestionem aut veri suppressionem obtenta, aut etiam sine hujusmodi fraude, dummodo Pontifex alias veritate expressa, & falsitate suppressa, non fuisset Rescripturus, valent quidem ipso jure sed ope exceptionis, coram judice delegato refelluntur: d. c. super litteris. Ratio diversitatis est: quia Rescripta gratiosa sunt ambitiosa. c. Quamvis de Præb. in 6. non item Rescripta ad lites.

Debet igitur in Rescriptis fieri mentio de omni eo, quod movere potest Pontificem, ad Rescribendum, vel non Rescribendum, vel etiam non tam facile. Quod Garzias de Be-

neficijs p.8.c.3.asserit generaliter obtinere in Rescriptis ad lites. In Rescriptis vero ad Beneficia, seu gratiæ, intelligit de ijs, de quibus in jure, vel de stylo curiæ cautum est, ut exprimantur, eo argumento, quod collatio facta criminoso, modo crimen non sit tale, quod inhabilitatem inducat, valida sit; quam tamen verisimiliter Pontifex non fecisset, si crimen noviset. Etsi autem Rescriptum subreptitium tribuat Jurisdictionem, tamen stante obreptione. & subreptione opposita, processus, si quis fiat, est nullius momenti. c. ex tenore, c. ad audientiam, x. eod.

Illud etiam observandum, Rescriptorum Pontificiorum alia, per viam brevis, alia per viam cognitionis, alia per viam Rescripti, specialiter nuncupati, concedi.

CAPUT XLIV.

Ex pluribus Rescriptis, quod sit præferendum? Ac qualiter Rescripta sint interpretanda? Et quando sint invalida?

SI duo diversi, ad unum idemque Beneficium Rescriptum impetrent; vel etiam ad unam eādemque litem, diversa Rescripta, ad diversos judices; posterius priori præferetur, si modo prioris mentionem faciat: alias valebit prius, & posterius subreptium habebitur, nec obtinebit alicujus roboris firmitatem, c

Cæterum, h.tit. Nisi primum fuerit impetratum communi consensu partium: nam tunc non valet secundum, impetratum per alteram partem, hoc subticito, d.c. Cæterum. Aut nisi prius sit generale, & posterius speciale; quia tum speciale posterius derogat generali priori, quantum ad ea, quæ in speciali specialiter, & contraria contentis in generali exprimuntur, vel in generali non exprimuntur licet prioris mentionem non faciat. c. 1. & c. Pastoralis, §. quoniam eod. tit. Idipsum obtinet quoque si speciale prius fuerit impetratum; quia generi per speciem derogatur. c. generi. De Reg. juris in 6. Et quia generalis dispositio, quæ sequitur, non refertur ad specialem præcedentem, lib. Sanctio legum, D. de pœnis. Quod si utrumque sit generale, illud attenditur, quod est magis speciale. Rebuffus in d. Tract. de Rescriptis n. 104.

Non mirum autem videri debet, per posterius Rescriptum revocari prius; id enim non fit sine causâ, cum quod ad Preces supplicantis largitur Pontifex, sit veluti precarium, quod jure communi, ad voluntatem dantis revocari potest, l. ait Prætor D. De Precario.

Quod tamen dicitur in d.c. Cæterum, secundum Rescriptum, non habita mentione de

de priore, non valere, intelligendum est, si pars opponat. Abbas & alij. ibid. Facit c. Plerumque x eod. ubi post annum valent secundæ litteræ, quando aduersarius primis non fuit vsus: nam inde sequitur, non fuisse ab initio nullas. Quod si quis impetrato Rescripto, videat, sibi fore damnosum non cogitur illud præsentare. cap. Ex Conquestione x de restitut: spoliat: Immo potest ei renunciare, etiamsi præsentaverit. Abbas ibid. Etiam post citationem; modo parti satisfaciat de expensis, & interesse. Aliud dicendum, si parti sit aliquod Jus quæsitum. Rebuffus d. loco, n. 160.

Quando in Rescriptis validis suboritur aliqua dubitatio, interpretatio stricte est facienda, & quidem secundum jus commune. c. causam quæ, x. eod. quia in dubio non præsumitur Princeps aut Pontifex aliquid contra jus commune rescribere; sicut nec derogari juri, alteri prius quæsito: quod est de naturâ Rescripti, l. falsam cod. de diversis Rescriptis l. Rescripta eod, de precib. Imp, offeren. Montanus de Tutela, cap. 33. n. 527. Et hinc omnes clausulæ in Rescriptis expressæ, vel subauditæ, ad juris communis sententiam revocari solent. Unde & illam clausulam, *Si simul omnes interesse non possunt, unus vel duo nihilo-*

minus negotium exequantur, interpretatur Pontifex, in c. Sciscitatus x. eod tam de impedimento juris, quam facti: & per illam: *Si pro alio non scripsimus*, quæ semper intelligitur, nisi contrarium exprimatur, declarat, se non intendere, gravare collatorem duobus mandatis, c. Mandatum, x. eod. Et denique, dum in aliqua Ecclesia, certus est Canonicorum numerus, nec vacat locus, regulariter rescriptum impetrans non recipitur c. constitutus, x, eod. Ideoque solet Pontifex addere, *non obstante Canonicorum numero*, per quam clausulam, pro illa vice, juri communi derogat, d. c. constitutus.

Inprimis suspectum est omne Rescriptum inhibens causæ cognitionem, c. ex parte h. tit quia non præsumitur Pontifex velle pervertere juris ordinem; & ideo suspicio est, tale Rescriptum ab eo non proficisci.

Non valet etiam Rescriptum, quod manifeste peccat in linguam latinam cap. Audient. eod. etiamsi Rescripta Principum sæcularium, in Grammaticam peccantia valeant. l. Imperator d. de statu hominum, litteræ tamen aut syllabæ unius defectus, non vitiat Rescriptum, nisi defectus talis sit, qui mutet sensum, & intellectum dispositivi Rescripti, c. Inter dilectos x De fide instrum.

Litt

Lite etiam pendente neutri litigantium fas est impetrare Rescriptum, quo alius de Possessione vel quasi Possessione dejiciatur, cap. 1. 2. & ult ut lite pendente, &c. Nec enim lite pendente Rescriptum impetrare licet, nisi ut deciditur in l. 2. & 3. cod. ut lite pendente &c. Sicut nec post provocationem, d. l 3.

Similiter non valet Rescriptum contra jus l. Rescripta cod de precib. Imp. offeren. can. Rescripta XXV. q. 2. sive divinum, quod inferior tollere nequit, sive naturale, quod est immutabile; sive contra Jus gentium, ut si Rescriptum dominium rei meæ mihi auferat sive contra jus civile, can. Imperiali XXV, q. 2. sive contra Canonicum; sive etiam contra consilia generalia, c, ex parte. x. de capellis Monachorum. Similiter non valet contra jus municipale, vel consuetudinem, non factâ illius mentione. Rebuffus d. loco. n. 70. in fine. Ratio horum est, quia talia Rescripta censentur concessa, præter intentionem Principis, ob varias occupationes tunc juris non recordantis. d c. Ex parte. Nec enim præsumitur voluisse jura, tot vigilijs excogitata, uno Rescripto subvertere. c. Ecclesia. x. de Elect. Similiter non valet, si sit contra stylum, c. quam gravi. x de crimine falsi, tunc enim non præsumitur à Papâ, vel ejus Legato e-

ma-

manasse.c.Porrectum.x de Confirmat. utili. Item si habeat clausulas insolitas: si tollat jus tertij, quia tum præsumitur falsum: si prohibitum sit impetrari: si careat debita solemnitate: si sit rasum in loco suspecto: si crimen Supplicanti indulgeat: si sit Fisco damnosum: si sit contra utilitatem publicam, vel jus publicum, veluti, ut ædificetur in viâ publicâ, in præjudicium Transeuntium.

Valet tamen Rescriptum contra jus, si sit per modum Privilegij, quod juri solet derogare. Can. Privilegia, distinct. 3. Si in aliquo solum juri deroget, veluti, ut differatur solutio creditorum, per annum, aut quinquennium, l. Quoties cod. de Precib. Imp. offerent. Si addatur clausula, *summaria & de plano*. Quia ordo juris non tollitur. Clement. Sæpe de verb. significat. Si fiat mentio juris contrarij, l. fin. cod. si contra jus, &c. Si non lædat alium, & prosit petenti.

Observandum autem circa hæc, subreptionem in uno capite, seu in una parte Resripti, regulariter non vitiare Rescriptum quo ad alia capita separata. cap. Si eo tempore h. tit. in 6. nisi sit dolosa: quia tum vitiat in totum. c. Sedes. c. ex tenore. c. super litteris, h. tit. Debet enim mendax Precator seu Impetrator carere penitus impetratis. d. c. Sedes

Simi-

Similiter si Subreptio in uno capitulo fuerit causa obtinendi Rescripti, quo ad omnia, vitiat in totum, c. Constitutus, & ibi Glossa, & Abbas h.tit.

Observandum præterea, subreptionem tolli per clausulam, *Motus proprij*, per clausulam, *non obstante*, per clausulam, *si non sit alteri Iu quæsitum*: quia videtur tunc concessum sub conditione, si non præjudicetur alteri in jure quæsito. c. quamvis eod. in 6. Itē per clausulam, *Ex certa scientia*, per clausulam, *Ex plenitudine potestatis*, per clausulam, *Pro expressis habentes & supplentes omnes defectus*, prout de his videre licet apud Rebuffum in d. Tract. de Rescriptis.

APPENDIX de REGULIS JURIS.

CUm in alijs scientijs, non omnia facta & individua, utpote infinita, possint aliqua ratione comprehendi ac cognosci: ita neque LEGES neque SENATUS CONSULTA, ita scribi potuerunt, vel possunt, ut omnes casus, qui quandoque incidunt, comprehendat. Li neque LEGES D. de LL. Necessum fuit, exemplo aliarum scientiarum, etiam in jure, ex ijs, quæ in varijs ejus partibus, definita sunt, aliquas generales Regulas con-

stituere, quæ continerent causam, & rationem primariam, quâ moti fuerunt prudentes, ad ità definiendum, & proinde nobis primariam Rationem JURIS controversi decidendi præberent. Hinc patet, quanta sit utilitas harum Regularum JURIS, quodque id sint Regulæ JURISCONSULTIS, quod Medicis Aphorismi, Geometris Postulata.

Hinc Gregorius Papa IX. in fine quinti Decretalis, undecim Regulas JURIS, & similiter Papa Bonifacius VIII. in fine sexti Decretalis, Regulas octoginta octo statuit, ex quibus, veluti universalibus Principijs, fundamenta JURIS, (ex quo LEGES procedunt) cognosci, & ex illis varij casus sæpe occurrentes, & in corpore JURIS, non satis vel minus dilucide & specialiter expressi, resolvi poterunt.

Unde expedire duxi Coronidis loco, hoc etiam saluberrimo Regularum JURIS succo, NUCLEUM meum imbibere: quem tamen, sic temperavi, ut omnes quidem Regulas attigerim: verum cum in illis aliquæ sint intellectu faciles, quædam vero difficiliores, quasdam sola citatione præterierim, præcipuas vero, additis pro rei exigentia, aliquot ratiunculis, elucidarim, quas fideliter ex do-

ctiſſi-

ctiſſimis harum Regularum commentarijs, Cancellarij Peckij, & Rationali JURIS Canonici, Joannis Baptiſtæ Viviani, ac alijs probatis Auctoribus (quos brevitatis causâ non citavi) fideliter deſumpſi. Sunt autem hæ ſequentes Papæ Gregorij, quarum

PRIMA.

Omnis res, per quascunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, quia contrariorum, eadem eſt diſciplina, & nihil tam eſt naturale quam eo genere, quodque diſſolvere, quo colligatum eſt, unde verborum obligatio, nudis verbis tollitur, & conſenſus, obligatio contrario conſenſu diſſolvitur, habetque locum in contractibus, ſponſionibus, ſponſalibus teſtamentis, fœderibus, ac ſimilibus.

Secunda. *Dubia in meliorem partem interpretari debemus.*, quia de manifeſtis uti Stupro, Adulterio, Homicidio, & alijs nobis permittitur judicare.

Tertia, *Propter ſcandalum vitandum, veritas non eſt omittenda*, quia Juſtitia in omnibus ſervari debet.

Quarta, *Propter neceſſitatem illicitum efficitur licitum* intellige de neceſſitate abſoluta, & de eo, quod contra LEGEM non eſt de ſe malum.

Quinta, *Illicite factum, obligationem non*

inducit, quia facta contra LEGEM aut in fraudem LEGIS ipso JURE non valent, nec firmantur juramento, nec etiam valet, quidquid sequitur ex illis. Hinc latenter, aut per vim factum, nulla debet stabilitate subsistere.

Sexta, *Tormenta, indiciis non præcedentibus non sunt inferenda*: ideo in ipso causæ initio, non à quæstionibus inchoandum; sed requiritur, quod veritas aliter haberi non possit: nam infertur in subsidium, & investigandæ veritatis causa, & præcedere etiam debent, aliqua indicia, sive præsumptiones, aut semiplenæ probationes; & confessio facta in tortura non præjudicat, nisi sit ratificata, extra locum Torturæ.

Septima, *Sacrilegus est, offendens rem, aut Personam Ecclesiasticam.*

Octava. *Qui facit aliter, quam facere debet, facere non dicitur*, quia talis non facit legitime, & secundum LEGEM, sed contra LEGEM.

Nona. *Committens unum peccatum, reus est omnium, quo ad vitam æternam*, quia contra charitatem, ex qua tota LEX pendet, delinquit.

Decima. *Ignorantia non excusat Prælatum, in peccatis Subditorum*; quia non potest esse Pa-

Pastoris excusatio, quod lupus oves comedit & Pastor nescit.

Undecima. *Pro Spiritualibus Homagium non præstatur*: quia est hominis Ligium, à quo Ecclesiasticus excusatur. Hic autem Homagium sumitur pro eo, quod apud sæculares vasallos in usu est, qui fidem Dominis suis obstringunt ad obsequia quædam pro temporali Feudo præstanda.

Sequuntur Regulæ Bonifacij Papæ Sexti Decretalium.

Prima.

Beneficium Ecclesiasticum non potest licite, sine institutione Canonica obtineri, quia non est ingressus in Ecclesiam, nisi per ostium, & in hac institutione requiritur Potestas in instituente, capacitas in recipiente, & solennitas à jure præscripta.

Secunda. *Possessor malæ fidei, ullo tempore non præscribit*, quia temporis diuturnitas non minuit peccatum, sed auget; quia injustus Possessor est, & in continuo peccato manet, nam verus & legitimus possessor, sibi prudenter persuadere debet, rem esse suam & non alterius.

Tertia. *Sine Possessione præscriptio non procedit*, quæ debet esse de facto & nomine proprio, & non alieno, alias ipse præscriberet, cujus nomine possideret. Et etiam debet esse possessio de jure, quia ad præscriptionem requiritur civilis possessio (talis persona erit, in quam possit cadere hujusmodi possessio) Hinc Laici jus decimandi & alia spiritualia, per quodcunq; tempus, etiam longissimum non præscribunt, quia horum sunt incapaces. Nam præscriptio est fundata super possessione, ut ex ea quis præscribat, & censeatur Dominus, ex quo diu possessor fuerit. nam, ubi non est fundamentum, superædificari non potest, & finem tollit, qui removet media ad illum.

Quarta. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum* quia peccati venia non datur, nisi correcto. Intellige, si ablatum restitui potest, si autem restitui non potest, ejus æstimatio restituetur, etiamsi res illa casu, sine ejus culpa perierit: quia illo instanti quo debebat restituere, & non restituit, fuit in mora, si autem ob inopiam non potest restituere, remittitur quidem peccatum, sed manet obligatio, si postea ad pinguiorem fortunam devenerit. Inops si debeat ex contractu, sufficit, quod bonis cedat. Qui vero est inops ex ma-

lefi-

leficio, castigatur verberibus, & tunc etiam veniens ad pingujorem fortunam, restituere non tenetur.

Quinta. *Peccati venia non datur, nisi correcto*; Correctus autem dum talis est, amplius non censetur Peecator.

Sexta. *Nemo potest ad impossibile obligari.* Habet locum in Matrimonio, Testamentis, singulis contractibus, Sententiis, Præceptis Confessionibus, LEGIBUS, & Constitutionibus. Impossibilis autem conditio apposita contractibus, eos vitiat. In Testamentis autem & Matrimonio, censentur non adjectæ, nisi sit contra substantiam Matrimonii, tunc etiam vitiat.

Septima. *Privilegium Personale Personam sequitur, & extinguitur cum Persona.* Quia fines mandati, juxta concedentis intentionem, diligenter sunt servandi, hinc etiam pacta Personalia, Personas non transgrediuntur, & compromissum, non extenditur ad Hæredes, nisi de ipsis caveatur. Extinguitur etiam Privilegium, cum quis abutitur eodem.

Octava. *Semel Malus, semper præsumitur esse Malus, nisi probetur Mutatus*, unde probato, quod pœnituerit, ulterius malus non dicetur.

Nona. *Ratum, quu habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum* : Quia duæ fictiones, non cadunt circa idem.

Decima. *Ratihibitionem retrotrahi, & Mandato non est dubium comparari* : Quia in Ratihibitione requiritur, quod actus sit gestus nomine illius, qui ratum habet. Hinc, si intra certum tempus, teneor aliquid facere, & alius id fecit, nomine meo, intra tempus, quo ego facere debebam, debeo illud ratum habere; alias Ratihabitio non prodesset.

Undecima. *Cum sunt Partium Iura obscura, Reo favendum est potiùs, quam Actori*: Quia Actor impetit, & Reus defendit, & Reus pugnat in Judicio pro libertate suâ, Actor pro servitute, & sanctius est, Nocentem absolvere, quam Innocentem condemnare, & in dubio quis potius est absolvendus, quâ condemnandus. Secus est, si Actor foveat causam favorabilem, ut Matrimonii, Libertatis, Testamenti, aut Dotis, tunc fallit Regula: nam favor causæ, in his est talis, ut debeat prævalere favori Rei, & sic potius sit favendum Actori. Hinc fit, cum semiplenè probabit Actor, & talis est causa, in quâ non defertur Juramentum, puta, criminalis, famosa, aut ardua, quod absolvitur Reus. Si autem

tem talis sit causa, in quâ deferendum Juramentum debet deferri Reo, nisi ex circumstantiis Personarum, & causæ, videatur Judici, illud deferendum Actori.

Obscuras tamen Probationes inductas à Reo, contra eum interpretamur. Et in præparatoriis Judiciorum, magis favetur Actori, quam Reo.

Duodecima: *In Iudiciis, non est Acceptio Personarum habenda. In Pœnis tamen, est deferendum dignitati & Personæ.* Intellige hanc Regulam, in cognoscendo & definiendo.

Decima Tertia. *Ignorantia facti, & non Iuris excusat*: Quia quilibet præsumitur scire Jura per se, aut consulendo peritiores. In principali causâ, probabilis error excusat, ab expensarum condemnatione, non autem in Appellatione interpositâ, in qua indistinctè victus condemnatur victori in expensis.

Decima quarta. *Cum quis in Ius succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere*: Quia talis ignorantia, est de facto alieno. Intellige hæc, in defendendo, non autem in agendo: nam debuit esse certus de causâ suâ, qui ad Judicium provocat. Successor tamen, qui in Jus, & locum alterius succedit, partibus sui Prædecessoris fungi debet, licet

licet non ita cito in morâ constituatur, ut Prædecessor.

Decima quinta. *Odia restringi, & Favores convenit ampliari*: Quia misericordia est præferenda rigori. odia sunt pœnæ, favor venia. Ideo si Jus aut Privilegium est odiosum, restringendum, si favorabile late interpretandum.

Decima Sexta. *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum*: Quia Beneficiis nos adjuvari oportet, non decipi. Quod intellige non de personalibus sed realibus, nam Privilegia realia sunt perpetua, extinguuntur tamen propter abusum, delictum, negligentiam, contrarium factum, & superveniens enorme præjudicium.

Decima septima. *Indultum à Iure Beneficium, non est alicui auferendum.* Intellige, sine causæ cognitione & ab Homine, alio enim Jure, aliquando tollitur alterius Juris beneficium, & aliquando etiam ex causa auferetur ab homine, causa cognita.

Decima octava. *Non firmatur tractu temporis, quod de Iure ab initio non subsistit* Intellige, quando à principio est nullum ipso Jure. Secus autem, si non esset nullum, sed annullandum, uti etiam, si novo consensu subsequente, interdum tacito, interdum expresso,

so, accedente, sublatâ causâ impedimenti, convalescit quia tunc incipit valere, ex subsequenti consensu ut ex nunc, non autem ut ex tunc, quod erat nullum.

Decima nona. *Non est sine culpâ, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.* Sic, qui Juris notitiam falso jactans, in Judicem electus est, ideoque malè judicat, culpæ reus est, & tenetur actione in factum. Simile est in omni Artifice.

Vigesima. *Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur*: Hinc licet Actor, non possit plures Actiones, simul proponere, sed Unam de pluribus debeat eligere; Reus tamen, potest etiam in unâ, & eâdem instantiâ Judicii, uti diversis, & etiam adversis exceptionibus.

Vigesima prima. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest*: Quia alteri, per alterum, non debet iniqua conditio inferri, & ideo, si posset resilire, à conventione, esset in alterius præjudicium. Ideo non potest quis mutare consilium, nec recedere à consensu præstito si exinde sequitur alterius damnum.

Requiruntur tamen ad hanc Regulam quatuor: Primo quod placitum non sit improbatum. Secundo quod scienter placeat. Tertio quod non solâ mente, sed verbo & facto. Quarto, quod alterius interest.

Vige-

Vigesima Secunda. *Non debet quis alterius odio prægravari*: quia rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit, & voluntate ac proposito maleficiâ distinguuntur. Fallit tamen, si fiat in odium Criminis, ut in Reo Læsæ Majestatis, Hæresis, schismatis, &c. Esse vero natum illegitimè, non est nota reatus, sed defectus, & qui laborant alieno vitio, misericordiâ sunt digni. Nihilominus tamen Delictum unius potest causare defectum in alio.

Vigesima Tertia. *Sine culpâ, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*: Quia pœna est mensura culpæ, & id Jus naturale dictat. Pœnam autem determinare, est Juris positivi, juxtâ conditionem Personæ & culpæ.

Vigesima Quarta. *Quod Aliquis faciat mandato Iudicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse*: Quia culpa non necessitate, sed voluntate Reum constringit. Intelligе, si Judicis Mandatum est justum, aut in dubio. Secus, si constaret de Injustitiâ; quia tunc ei resisti posset. Et etiam Intelligitur, quando Judex officium suum exercet, alias non requiritur, ut quis obediat, nisi ex reverentiæ exhibitione.

Vigesima quinta. *Mora sua cuilibet est nociva*: Quia ad hoc, quod quis dicitur Moro-

sus

sus, requiritur, quod sciat, se debere, aut scire debeat, quod interpellatus fuerit à die, aut ab Homine, & quod habuerit possibilitatem dandi, nam, qui in tali casu non solvit, est in culpa. Ideo sibi imputet, quod ex tali morâ, damnum patiatur. Et tunc tenetur Morosus de casu fortuito, etsi eodem modo, fuisset res, apud Dominum peritura: nam forte Dominus rem vendidisset, & sic apud alium periisset.

Vigesima Sexta. *Ea, quæ fiunt à Iudice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.* Quia, quando Judex Officium ejus excedit, videtur ut Privatus, & ei non est obediendum. Intelligitur: Quando constat, ea, quæ facta sunt, non spectare ad officium facientis, sed si dubitetur, tenetur quis ire, allegaturus Privilegia.

Vigesima septima. *Scienti, & consentienti non fit injuria, neque dolus*: Quia remittentibus actiones suas, non est dandus regressus. Intelligitur copulative, quod sciat & consentiat, scienti enim & non consentienti sæpe injuria inferri potest.

Vigesima octava. *Quæ à Iure communi exorbitant, nequaqam ad consequentiam sunt trahenda.* Quia LEGIBVS generalibus, non autem Exemplis & Juribus Privatorum,

rum, est de uno ad alium inferendum,

Vigesima Nona. *Quod Omnes tangit, ab Omnibus approbari debet.* quia Alteri per Alterum non debet præjudicium inferri. quia si ex unius consensu, posset de Iure Alterius disponi, id, quod meum est, sine facto meo, mihi indebite subtraheretur. Ideo ea, quæ pertinent ad Plures, ut singulos debent ab omnibus approbari, ut de eis valeat disponi.

Fallit tamen in favore Liberationis, in Arbitris, Favore Litium dirimendarum, in Compromisso in plures Arbitros. nam tunc sententia valet à majori parte facta, ut etiam in pluribus Patronis, quiâ major pars prævalet, ob favorem Ecclesiæ.

Quod autem competit pluribus, non ut singulis, sed ut collegio, valet, quod fit à majori parte, nisi contradicatur ex rationabili causâ.

Trigesima. *In obscuris minimum est sequendum.* Intellige hæc in subsidium. Quia prius inspicitur, quod actum est. Secundo Quod verisimilius est. Tertio quod fieri solet.

Trigesima Prima. *Eum, qui certus est certiorari ulterius non oportet,* Intellige, si certus est; aut esse debet ad finem scientiæ, sed quando denunciatio fit ob aliud, tunc etiam scienti debet fieri denunciatio. unde vendi-

tori

tori, scienti, litem esse motam, benunciatio fiet; quiâ ei non fit solum, ut certioretur, sed etiam, ut veniat ad defendendum se

Trigesima Secunda. *Non licet Actori, quod Reo licitum non existit.* quia favorabiliores sunt Rei, quam Actoris partes, sed ea ratione, qua parilitas servanda est in Iudiciis.

Trigesima Tertia. *Mutare quis consilium non potest, in alterius detrimentum* quia alter, sine culpa suâ, læderetur, & iniqua conditio inferreretur:

Trigesima quarta. *Generi per speciem derogatur* & ideo species, quæ reperitur specialior derogabit alteri Speciei, quæ sit generalior, & Individua debent derogare speciei.

Trigesima Quinta. *Plus, semper in se continet, quod minus est.* quia omne totum est majus. sua, parte. Intellige de Plus quantitate, nam plus qualitate, non includit. minus qualitate.

Trigesima Sexta. *Pro Possessore habetur, qui dolo desiit possidere.* Intellige, quo ad sui damnum, non autem, quo ad commodum, unde ei non cavetur, licet caveatur Possessori.

Trigesima Septima *Vtile non debet per inutile vitiari,* quia curandum est, ut potius res valeat, quam pereat. quia alias actus per

sc

se subsistens, ex levi causâ posset annullari, Intellige de his, quæ Divisionem patiuntur, non de his, quæ dividi non possunt. ut aqua dividi non potest. Animaliâ autem separari possunt.

Trigesima octava. *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.* quia, qui aliquid impugnat, videtur illud pro injusto habere, & si aliquod jus sibi in illo competebat, censetur per impugnationem ei renunciasse. Hinc licet nisus non consequatur effectum, perdit tamen commodum, quod approbanti conceditur.

Intellige tamen, si concurrat Primo; quod impugnans perseveret, quantum in eo fuit cum effectu, in impugnatione. Secundo, quod non ratione officii, id faciat, sed suo nomine, & voluntarie. Tertio quod idem sit Capitulum, quod impugnat, ex quo nititur, nunc fructum consequi.

Trigesima Nona. *Cum aliquid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo,* quia de connexis est idem judicium, & accessorium sequitur suum principale. uti etiam cum aliquid prohibetur, prohibentur omnia, per quæ pervenitur ad illud. Sicut concesso aliquo, concessa sunt omnia, sine quibus concessum explicari non potest; uti & prohibito

hibito antecedente, censetur prohibitum consequens, & contra.

Quadragesima. *Pluralis Locutio in duorum numero est contenta*, habetque locum testibus

Quadragesima prima. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per, tum fuerat faciendum*. quia ad impossibile nemo tenetur. Intellige, nisi quis suâ culpâ incidisset in casum, propter quem postea facere non potuit, quod fuit faciendum: tunc enim illud sibi esset imputandum: quod verum est; si culpa erat verisimiliter ordinata, ad illum casum: alias non.

Quadragesima secunda. *Accessorium naturam sequi congruit sui Principalis*: Quia, ubi eadem est ratio, idem debet esse Judicium, & magis dignum ad se trahit minus dignum. Intellige de Accessorio, quod non potest consistere sine principali: alias enim extincto principali, posset non extingui accessorium,

Quadragesima Tertia. *Qui tacet, consentire videtur*: Quia, qui potest prohibere, non prohibendo videtur approbare: Quia, ubi quis est præsens, & agitur de ejus interesse, si nollet consentire, posset expresse negare.

Quadragesima quarta. *Is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur*: Quia tacere

tacere est quoddam medium inter Affirmare & Negare.

In facto appetibili, taciturnitas habetur pro cõsensu. non autem in facto non appetibili, aut oneroso. nam in tali, est necessarius expressus consensus, alias quis censetur invitus.

Quadragesima Quinta. *Inspicimus in obscuris, quod verisimilius est, aut, quod plerumque fieri consuevit*. quia semper in contractibus id sequimur, quod actum est. justum est enim, voluntates Contrahentium adimpleri.

Quadragesima Sexta. *Is, qui in Ius succedit alterius, illo Iure, quo ille, uti debebit.* quia Hæres censetur eadem persona cum Defuncto, & Successor cum Prædecessore. Intellige in Successore universali, activè & passivè: Quiâ, quod Jus competebat Defuncto, competit Hæredi, & Jus competens contra Defunctum, etiam competit contra Hæredem. Idem est in singulari Successore. Non autem in Personali Privilegio, aut Facto.

Quadragesima septima. **Præsumitur ignorantia, *ubi scientia non probatur*:** Quæcunque, quæ in facto consistunt, possunt probabiliter ignorari. Secus est in his, quæ consistunt in

in Jure: & ideo, quæ non habent præsumptionem, contra se, affirmanti incumbit onus probandi. Intellige de facto occulto, non autem publico: Quia tunc præsumitur scientia, nisi ignorantiâ probetur, uti & in his, quæ quis scire tenetur. unde fallit in factis propriis, quæ quis scire præsumitur: nisi essent multum antiqua.

Ignorantia probatur Primo, si jurem, in veritate me ignorasse, & creditur, si ignorantia est probabilis. Secundo: Quando probatur id, de quo necessario sequitur, me ignorasse, ut, quia fui Puer, aut Furiosus. Tertio. Quando probatur id, de quo non necessario, sed verisimiliter sequitur, me ignorasse, ut, qua fui absens.

Quadragesima Octava. *Locupletari non debet quis cum alterius injuriâ vel jacturâ:* Quia dolo malo facere dicitur, qui, ex alienâ jacturâ, lucrum quærit, & sic etiam Pupillus obligatur in eo, ex quo factus est ditior, & hac ratione, si statutum tollit exceptionem, non habet locum, si contingat, alium lucrari, cum jacturâ alterius, nam tali casu officium Judicis potest implorari. Intellige de jactura enormi, & nisi quis privetur Jure suo, ob utilitatem publicam. Excipitur etiam præscripto, ratione boni publici.

Quadrageſima nona. *In pœnis benignior eſt Interpretatio facienda.* Unde ſi Præceptum ſit, quod aliquid fiat, ſub pœnâ, non intelligitur, quod ipſo Jure, pœna incurratur, ſed videtur quædam comminatio, & in pœnis liquida debet eſſe probatio, ut pœna incurratur, & ob id, in pœnis, nunquam defertur Juramentum, in defectum probationis, & pœna, ſi in uno capitulo apponitur, non videtur in alio repetita. Et in pœnis, ut pœna evitetur, attenditur initium, & pœna non habet locum, niſi ſit ſtatuta. Quatenus tamen proprietatem verborum ſignificat, ſit extenſio etiam in pœnis. Secus, ſi ageretur de lata ſignificatione: quia tunc, illa in materiâ pœnali non attenditur.

Non habet locum, hæc Regula, Primo: in Pœnâ Excommunicationis. Secundo, quando agitur de removendo fraudem: quia tunc in pœnalibus ſit extenſio, ne diſpoſitio illuſoria redderetur. Tertio In utilitate publicâ. Quarto in favore Eccleſiæ: quia tunc conſtitutio Pœnalis extenditur, ut, ſi agatur de favore Fidei & Animarum. Quinto: Si ratio ſit expreſſa: Quia tunc etiam in pœnalibus extenſio fiet. Sexto generaliter dicipotteſt, quod quando agitur de pœnâ, fiat extenſio de ſimilibus ad ſimilia, ab identitate, Ra-

Quin-

tionis.

Quinquagesima *Actus legitimi conditionem non accipiunt, neque diem.* ideo si ob adjectionem conditionis, actus est invalidus, ea nullitas in Judicio semper opponi potest.

Quinquagesima 1. *Semel Deo dicatum, non est ad usus Humanos ulterius transferendum* : Quod intellige in eadem scilicet formâ: Quia vata comminui possunt, Sacris abdicatis, ob redemptionem captivorum, & urgentia debita vendi.

Quinquagesima secunda. *Non præstat implimentum, quod de Iure non sortitur effectum.* Unde Maleficia habentur pro infectis, quo ad commodum facientis, sed habentur pro factis, quo ad ejus incommodum & pœnam.

Quinquagesima Tertia. *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus*, Si id, quod minus est, continetur sub majore, ut quantitas & species sub genere. Secus, si minus, non continetur sub majore, sed esset species diversa, & fallit etiam, ubi ratio diversitatis dari potest.

Quinquagesima quarta. *Qui prior, est tempore, potior est Iure*: Quia principium est cujusque rei, potentissima pars. Ideo ex quo habet aliquis Jus in re, non debet in ejus præjudicium, sine causâ postea, illud alteri ac-

quiri. Intellige hæc de his, quæ à voluntate duorum dependent, ut in Contractibus. Sed in LEGIBUS & Testamentis, quæ dependent à voluntate unius, posterior revocat priorem.

Item intelligitur cæteris paribus: Nam Privilegia, non considerantur tantum, ex tempore, sed etiam ex causâ. Hinc *receptus* auctoritate Apostolica, præfertur omnibus etiam ante receptis, aliorum auctoritate. Et in duobus Emptoribus, aut Donatariis, præponitur in rei vendicatione Ille, cui res prius fuit tradita, & non Ille, cui fuit vendita, aut donata: nam venditor, antequam tradat, manet Dominus: sed quia Alteri vendendo prioris contractus fregit fidem, ex empto, actione conventus, quanti sua interest, cogetur præstare Priori. In assecutione vero Prebendæ præfertur Is, qui Primo impetravit, & in eis attenditur data: quia per Litteras Papæ, statim Aliquis est Canonicus, cum gratia dependeat, ex parte Concedentis.

Quinquagesima quinta. *Qui sentit onus sentire debet commodum, & contra.* Nam alias melior esset conditio negligentis, quam operantis, & Iniqui, quam Justi. Ideo secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda. Nec est

ferendus, qui lucrum amplectitur, onus autem subire recusat. Et Ecclesiasticis utilitatibus desudantes, Ecclesiasticâ dignum est remuneratione gaudere. S. Greg.

Quinquagesima sexta. *In re communi, potior est conditio prohibentis.* Hinc, si habeo fundum tecum communem, & tu velis ædificare in eo domum, & ego prohibeo, melior est conditio mei prohibentis, quam tui ædificare volentis. Intellige, si interest, prohibentis, non fieri: si autem non ejus interest, etiam eo invito fieri potest.

Quinquagesima septima. *Contra eum, qui LEGEM dicere potuit, apertius est interpretatio facienda.* Quia fuit in potestate Jus dicentis, animum suum, per quæ verba volebat, propalare.

Quinquagesima octava. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum Iuramentum.* Hinc, qui aliquid illicitum Juravit adimplere non tenetur Juramentum illud, si sit prohibitum propter turpitudinem sui: Si autem Juramentum est in Privilegium, aut favorem Personæ, tunc Juramentum illius personæ, in cujus favorem inducitur prohibitio, est obligatorium, & confirmat rem, de qua agitur.

Quinquagesima Nona. *Dolo facit, qui*

petit, quod restituere oportit eundem. Intel
ge, si restitutio deberet fieri, in continenti. S
cus, si ex intervallo. Et procedit in petitori
& Possessorio adipiscendæ, aut retinendæ
non in Possessorio recuperandæ, & spoliat

Sexagesima. *Non est in morâ, qui potest ex
ceptione legitimâ se tueri.* Intelligitur autem
Exceptio legitima: quæ non potest ope r
plicationis elidi, alias esset illegitima qui
nihil interest, utrum quis non habeat, ips
Jure actionem, aut habeat eam, quæ poss
per exceptionem excludi.

Sexagesima prima. *Quod ob gratiam al
cujus conceditur, non est in ipsius dispendiu
retorquendum.* Quia intentio Rescribent
est, ut illa convertatur in beneficium & pr
mium, non autem in damnum & pœnam
Intellige, quod conceditur per Privilegium
proprio motu Principis, non autem ex pe
tione Impetrantis.

Sexagesima secunda. *Nullus ex Consil
dummodo fraudulentum non fuerit, obligatu*

Quia, nullus tenetur consilium sequi, cum
illud non necessitet. Imo quisque explorar
& deliberare debet, apud se ipsum, an sibi e
pediat, nec ne:

Si consilium detur, circa contractum,
est fraudulentum, tunc tenetur, actione
dolo

dolo, ipsi, cui consilium dedit.

Si detur, circa maleficium exercendum, tunc tenetur Consulens, non illi, cui, sed ei, contra quem consilium dedit: Nam, si consuluit occidi, Homicida est, ut mihi injuriam faceret, tenetur mihi injuriarum: quia, cui dedit consilium, tenebatur scire, id non expedire, tum quia ex improbitate suâ, nullus consequitur actionem.

Sexagesima Tertia. *Exceptionem objiciens, non videtur de intentione Adversarii confiteri.* Quia Excipiens negat, se debere id, quod excipit. Intellige hæc etiam, de Replicatione, ut sicut Excipiens non fatetur actionem, ita nec Replicans Exceptionem.

Sexagesima quarta, *Quæ contra Ius fiunt, debent pro infectis haberi.* Quia Inferior, non potest tollere LEGEM Superioris. Intelige de iis, quæ habent, perpetuam prohibitionis causam. Secus est, quæ habent prohibitionem temporalem, ut Matrimonium contractum, contra votum simplex, tenet, licet non deberet fieri, uti & sententiâ lata, sub conditione valet, licet fieri, secundum Jus non deberet.

Regula loquitur de iis, quæ de Jure alias deberent, sortiri effectum, & quæ alias, de Jure sunt permissa, ut pacta &c. Sed quando

non fiunt, juxta Juris formam, intelliguntur prohibita, & ideo non fortiuntur effectum de Jure.

Sexagesima quinta. *In pari delicto, vel causa, potior est conditio Possidentis.* Quia duo vincula magis ligant, quam unum.

Sexagesima Sexta. *Cum non stat per eum ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet proinde, ac si adimpleta esset.* Quia, ubi quis paratus est, quantum in se est conditionem adimplere. Sed ille, pro qu erat adimplenda, aliquo modo impedit, qui illa adimpleri possit id ei, qui adimplere debebat, dicitur impossibile factu; ideo sib imputet ille, pro quo erat adimplenda, si a ter, qui adimplere debebat, non adimple Intellige, quando quis impeditur per illum cujus favore, conditio erat adimplenda.

Sexagesima septima. *Quod alicui suo nomine licet nomine, nec alieno licebit*; quia indecen est, crimen suum, commodis alienis, imper dere & exercere. Et quod viâ unâ alicui pro hibetur, ad id alia, non debet admitti.

Sexagesima octava. *Potest quis facere p alium, quod potest per se ipsum.* Intelliged his, quæ possunt per alium explicari. Secus his, in quibus electa est industria Persona

aut ob alium respectum, non possunt explicari, nisi à se ipso.

Sexagesima nona. *In malis promissis, fidem non expedit observari* : Quia fides data non erit vinculum iniquitatis, hinc quod incautè Jurasti, ne facias, impia enim est promissio, quæ scelere impletur.

Quod si in Promisso intervenit Juramentum, & istud malè promissum, potest servari, sine dispendio salutis æternæ, tunc est servandum. Secus, si super re malâ aut turpi, quod non observandum, quia Jure non tenet. Si autem non de re malâ, sed ex dolo & metu sit promissa, licet de rigore Juris teneat, tamen Promissori datur exceptio.

Septuagesima. *In alternativa Debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri.* Nam, qui in uno gravatur, in alio relevari debet. Intellige de alternativâ dandi, cum verba diriguntur ad Debitorem, ut det unum, aut alterum; nam in alternativâ accipiendi, cum verba scilicet diriguntur ad Creditorem, ut accipiat unum, aut alterum, electio est Accipientis & Creditoris. Hoc in contractibus.

In pœnis autem alternativis electio est Rei, nisi Judex aliter haberet arbitrium. In alternativis vero Remediorum semper est

Electio habentis plura remedia.

Septuagesima prima. *Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.* Quia plus est, agere, quam excipere. Nam in exceptione quis est Reus, & Reis favorabiliores potius, quam Actores habentur. Intellige, quando de eodem, & ad idem agitur & excipitur, & sic, quando actio, & exceptio tendunt ad idem, secus, ad diversa.

Septuagesima secunda. *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.* Scilicet quando tam unus, quam Alius habet eandem habilitatem. Secus in iis, in quibus electa est industria Personæ.

Septuagesima Tertia. *Factum legitimum retractari non debet, licet casus postea evenerit à quo non potuit inchoari*; quia quælibet dispositio, intelligitur rebus sic stantibus, & factum, infectum reddi non potest, & facilius quis repellitur, ab obtinendo, quam ab obtento. Hinc ea, quæ semel utiliter & legitimè, constituta sunt, durant, licet supervenerit casus, à quo initium habere non possunt. Limita, quando actus fuit perfectus, & consummatus, secus, si non; quia tunc destruitur, quando devenit ad casum, à quo inchoari non potest. Secundo limita, quando re-

deve-

devenit ad talem casum, quod causa finalis
ficeret.

Septuagesima quarta. *Quod alicui gratiose*
conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplū
præsertim, quod à jure exorbitat, & est privi-
legium personale.

Septuagesima quinta. *Fraustra sibi fidem*
quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præ-
stitam servare recusat, quia, qui alteri sub
conditione promisit, non tenetur alteri, nisi
conditio impleatur. Ideo, qui non servat Le-
gem conventionis, in ea commodum sentire
non debet. Hoc est verum circa idem factum
non circâ diversa, & quando contrahentium
eadem est conditio. Facta fide, alter adim-
plere suam datam potest: & sic pœnam po-
test petere cum effectu, si autem frangatur,
utrimque compensatio pœnarum fiet.

Septuagesima sexta. *Delictum personæ non*
debet in detrimentum Ecclesiæ redundare: quia
Ecclesia jure minoris, debet semper illæsa
servari.

Intellige de delicto in faciendo, & non in
omittendo; per quod prælatus potest præju-
dicare Ecclesiæ, & nisi delictum sit perpetra-
tum, à Prælato cum consensu Capituli, & el-
set detrimentum, in particularibus, rema-
nente tamen, tantum de bonis Ecclesiæ, quod

ei possit deservìri in divinis, & ejus Ministri congrue sustentari. Si autem ideo Ecclesia privaretur, omnibus suis bonis, aut majori parte, ut Ecclesiæ non possit deservìri in divinis, aut destrueretur: tunc delictum Prælati & capituli, non nocet Ecclesiæ.

Septuagesima septima. *Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore*: quia iniquissimum est genus Societatis, in quo unus damnum, & non lucrum haberet, & e contra: Et Successor censetur eadem persona, cum Prædecessore. Intellige, quando onus non cohæret Personæ: nam si cohæret personæ, secus esset.

Septuagesima octava. *In argumentum ratihi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.* quia argumentum à simili procedit, quando similitudo est in totum. Si tamen eadem, aut major causa necessitatis subest, bene posset trahi in argumentum: nam quæ conveniunt in identitate rationis, per constitutionem juris, separari non debent.

Septuagesima nona, *Nullus potest plus Iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur*: Hinc si jus, quod erat apud transferentem, erat personale, nec illud transit, sed desinit, quo ad rem. Unde illud Jus, quod quis non habet nec in actu, nec in potentia, non potest in alium transferre. Octo-

Octogesima *In toto partem non est dubium contineri*, unde, qui absolvitur ab impetitione totius fundi, intelligitur absolutus à qualibet ejus parte.

Octogesima prima. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*: quia ea, quæ speciali notâ sunt digna, nisi specialiter notentur, de industria censentur omissa, & cognoscitur in specie verisimiliter non concessura fuisse ex impossibili aut dura, aut inhumana separatione, utpote ministeria artis suæ, uti & in generali obligatione pignoris, non veniunt uxor & alumni, & quæ quis verisimiliter, non est credendus specialiter obligasse.

Octogesima secunda. *Qui contra Ius mercatur, bonam fidem non præsumitur habere*: quia, si sciebat Jus, patet, quod mala fides est in ipso, si non sciebat Jus, non excusatur: quia Juris ignorantia non excusat, sed bene facti.

Octogesima tertia. *Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur*: quia solutione ejus, quod debetur, tollitur omnis obligatio, & eâ semel extinctâ, non reviviscit, nam obligatio dicitur mater actionis, & ubi non est obligatio, ibi non competit actio.

Octogesima quarta. *Cum quid una via*

prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti intellige, cum aliquid prohibetur, habito principaliter respectu ad prohibitum, non ad viam, vel modum, quo prohibetur. Speciale tamen est in libertate, ob ejus favorem. Si autem prohibitio, principaliter se habet ad viam aut modum, non ad rem, tunc secus est.

Octogesima quinta. *Contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur*: quia pacta sunt servanda. Quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea servare, quæ inter eos placuerunt, quoniam rei suæ quisque est moderator & arbiter. Intellige hæc de conventione honesta & possibili: nam facta, contra bonos mores, vel impossibilis, non valet.

Octogesima sexta. *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non alii imputare*: quia effectus est attribuendus suæ causæ.

Octogesima septima. *Infamibus porta non pateant dignitatum*: quia opinio assumendi ad dignitates, in nullo debet vacillare, sed debet esse bonæ famæ, & illæsæ existimationis.

Octogesima octava: *Certum est, quod in committit in Legem, qui Legis verba complectens, contra Legis nititur voluntatem*: quia, qui tantum verba sectatur, nihil habebit; qui autem Possessor est mentis, diligit animam suam

suam, quia ratio Legis sive intentio dominatur verbis in LEGE, sicut anima corpori.

Hæc sunt, quæ brevibus ad Dei honorem, & proximorum utilitatem hoc NUCLEO meo comprehendere volui, cujus materiam ita temperavi, ne prolixitas fastidium, aut nimia brevitas obscuritatem pareret, & non tantum speculationi Theologicæ, sed simul etiam Canonicæ ac Civili Praxi subserviret. Imitatus Apium industriam, quæ, ut suis & aliorum suorum usibus, dulce mel præparare possint, Alvearibus turmatim egressæ, campos hortosque volando oberrant, & exinventis ibidem floribus, nobiliorem succum exsugunt, quo intra se recepto, ad Alvearia revolant, ibidemque solerti industria, deputatum mel elaborant. Quarum exemplum in hujus NUCLEI Elaboratione, me secutum, LECTOR BENEVOLE, re ipsa deprehendis, postquam ipsius succum bene delibaveris, agnoscesque me Laborem hunc, in tuum bonum, utiliter collocasse, cujus mercedem magnam nimis, ab illo solo exspecto, qui est omnium bonorum Retributor Largissimus.

Ac

Ac his ad DEI OPTIMI MAXIMI ejusque INTEMERATÆ MATRIS VIRGINIS MARIÆ honorem, NUCLEO meo finem impono, omnia in eo tradita S. R. Ecclesiæ censuræ, obedientissime submittens, quæ illa approbaverit, probans, & quæ reprobaverit, reprobans.

FINIS.

INDEX CAPITVM quæ in hoc Nucleo continentur.

Caput. I. Vnde Lex dicatur? quid sit? quotuplex? quæ ad eam requirantur: quis ejus sit finis & quis eam condere possit? pagina 1.
Cap. II. Vtrum promulgatio sit de ratione Legis, & qualis sufficiat? 7
Cap. III. Vtrum effectus Legis sit hominem facere bonum? & qui sint actus Legis. 11.
Cap. IV. Quid sit Lex æterna? & an omnibus nota omnisque Lex ab ea derivetur? ac omnia necessaria & æterna, uti & naturalia contingentia. & omnes res humanæ illi subjiciantur? 12
Cap V. De Iure vel Lege naturali. 16
Cap. VI. An Lex naturæ sit una apud omnes 17
Cap. VII. An Lex naturæ mutari, vel in ea dispensari possit, & an ἐπιείκεια in ea locum habeat. 19
Cap. VIII. An possit lex naturæ à corde hominis aboleri? 38
Cap. IX. De Iure seu Lege gentium. 39
Cap. X. De Lege positiva humana quid sit? & an ea homi nibus fuerit necessaria? an à lege naturali derivetur, & quæ qualitates ad eã requirãtur 42
Cap. VI. De divisione Legum humanarum, 47
Cap. XII. De Iure Canonico, quid sit Ius canonicum? quomodo inceperit? quæ sit ejus dignitas? quando leges civiles ei cedant? quibus partibus constet: & quando obliget vel non obliget? 51
Cap. XIII. De praxi judiciaria. 58
§. I De divisione judiciorum. 59
§. II De Foro competenti. 63
§. III. De Prorogatione judicis. 67
§. IV, De Citatione. 69
§. V, De Libelli oblatione, 75

§. VI De mutuis Petitionibus. 80
§ VII. De Litis contestatione. 84
§ VIII. De juramento calumniæ. 90
§. IX. De dilationibus. 93
§. X. De Possessione & judicijs possessorijs. 98
§. XI. De Restitutione spoliatorum 102
§. XII. Vt lite pendente nihil innovetur. 106
§ XIII. De Probationibus. 110
§ XIV, De Testibus & Attestationibus. 119
§. XV. De fide instrumentorum. 131
§. XVI. De jure jurando. 141
§. XVII. De Exceptionibus. 148
§ XVIII De sententia & re judicata. 154
§ XIX De Appellationibus. 177
§. XX De Recusationibus.

DE POTESTATE LEGIS HVMANÆ,

Cap. XIV. An in omnibus sit potestas Leges ferendi? & qui illam habeant? 18
Cap. XV An Leges Regni vel Territorij obligent subditos, quando extra illud versantur, vel advenas dum in eo ad tempus subsistunt? 18
Cap. XVI. An Leges civiles justæ obligent Ecclesiasticos & quomodo? 18
Cap. XVII. An Lex humana debeat esse de communi magis quam in particulari, & an ad eam pertineat omnia vitia prohibere? 18
Cap XVIII. An Lex humana præcipiat omnes actus virtutũ, & an se extẽdat ad actus internos? 19
Cap. XIX. An Lex humana imponat hominibus necessitatem in foro conscientiæ, & quando obliget ad peccatum mortale? Item quando obliget cum mortis periculo? 19
Cap. XX Vtrum Lex pœnalis obliget in conscientia ad id præstandum, pro quo pœna imponitur. 202.

Cap. XXI Vtrum lex pœnalis in conscientia obliget ad subeundam pœnã ante judicis sententiam? 206

Cap. XXII. An & quomodo justi & ipsi Legislatores legibus subjiciantur, & quas pœnas hi incurrant, si transgrediantur 214

Cap. XXIII. An subditus possit aliquando facere præter verba Legis. 217

Cap. XXIV. An lex humana possit aliquando mutari & sit mutanda, quando occurrit aliquid melius, 218

Cap. XXV. De dispensatione. Quid sit, & qualiter sit interpretanda, quæ sit ejus materia, quotuplex sit, & quæ requirantur, & an inferior possit dispensare in Lege superioris. 220

Cap. XXVI. De potestate dispensandi. Quotuplex sit hæc potestas, & qualiter ea competat Episcopis, & alijs circa Leges superiorum, ac illis, qui habent potestatem delegatam. 229

Cap. XXVII. An ad dispensationem justam, causa etiam justa sit necessaria, tam quoad dispensantem, quã quoad dispensatũ & quæ sit justa causa, ac quando dispensatio reddatur invalida 230

Cap. XXVIII. De Consuetudine, quid sit consuetudo, quæ ad eam introducendam requirantur, & quos habeat effectus. 232

Cap. XXIX. An consuetudo possit inducere aliquam Legem contra jus divinum, vel naturæ, & an leges humanæ, Ecclesiasticæ & civiles per eam possint abrogari. 237

Cap XXX. An Consuetudo possit dici rationabilis quæ adversatur legi rationabiliter latæ 244

Cap. XXXI. Quomodo actuso consuetudinis qui sunt contra legem, possint contra eam præscribere

bere si sint malæ fidei, & quantum temporis re-
quiratur, ut consuetudo præscribat contra Le-
gem, 150
Cap XXXII. An consuetudo rationabilis possit in-
ducere legem non scriptam, & quid ad eam in-
tali casu requiratur. 151
Cap. XXXIII. Quantum temporis requiratur ut
consuetudo legem inducat. 155
Cap. XXXIV. Quas personas obliget consuetudo,
& an Laicorum consuetudo possit obligare Cle-
ricos. 157
Cap XXXV. An consuetudinis vis etiam locum
habeat in lege pœnali, irritante, & prohibente
consuetudinem contrariam. 161
Cap. XXXVI. An consuetudo habeat vim inter-
pretandi Leges. 167
Cap. XXXVII. De Privilegio, quid sit & quomodo
dividatur. 168
Cap. XXXVIII. Qui & quales possint Privilegia
concedere, qui ejus sint capaces, & quid si pro-
prio motu datum. 171
Cap. XXXIX An aliquis possit ubique & quidem
extra Territorium privilegio suo uti. 175
Cap. XL. Qualiter privilegium quoad suos effectus
sit interpretandum. 178
Cap. XLI. An privilegium exspiret per mortem con-
cedentis, & quomodo perdatur per non usum. 181
Cap. XLII. An privilegia semel concessa revocari
possint, 187
Cap. XLIII. De Rescriptis, quid sint rescripta, quo-
tuplicia, & qui ea interpretari possint. 188
Cap. XLIV. Ex pluribus Rescriptis, quod sit præfe-
rendum, ac qualiter Rescripta sint interpreta-
da, & quando sint invalida. 193

INDEX RERUM NOTABILIUM quæ hoc Nucleo continentur.

A Appellatio.

Appellatio quid sit, & quotuplex? 115. quis appellare possit? 156. Appellatio unius in causa communi, an alijs prodesse possit? ibid. ut Procurator appellet, quid requiratur? ibid. an non gravatus appellare possit? 157. An ab omnibus judicibus appellari possit? ibid. An à quacunque sententia? 158. Quid sit discriminis inter jus Canonicum & civile, quo ad appellationem? ibid, quid Conc. Tridentinum de super permittat? 159. Appellatio quibus, & in quibus casibus, non permittatur? ibid. In quibus casibus non potest appellari à definitiva, an possit ab interlocutoria? ibid. Coram quo judice appellandum? ibid. An, & intra quod tempus judici & adversario absentibus, appellatio intimanda sit, & ad quem judicem appellandum? 163. Tempora fatalia appellationis, quæ sint? ibid. & seq. Appellatio quomodo interponenda, ut appareat? 164. Nomen judicis ad quem, si non exprimatur, ad quem censeatur provocatum? 166 A definitiva, quomodo statim, viva voce appellari possit? ibid. Ab interlocutoria quomodo? ibid. An in appellatione exprimenda causa in specie? ibid. Ex quibus actis seu causis appellatio

justificanda? ibid. An judex à quo appellatur possit procedere, non obstante appellatione 168. Quid Apostoli? cur sic dicantur? quotuplices? & intra quod tempus petendi? ibid. Judex à quo, non deferens appellationi, quas pœnas incurrat? 170. Tempus introducendæ & prosequendæ appellationis quod sit? ibid. Terminus appellationis, à quo præfigendus? ibid. Regula juris de appellationis effectu 172. Quid non obstante appellatione, judicii quo, & parti liceat? 174.

B. Beneficium.

Beneficio suo ut quis privetur, quæ & qualia requirantur? 105.

C. Citatio.

Citatio quid sit? 69. ejusdem divisio, ibid. quid realis? quid verbalis? ibid. Edictalis quando utendum? ibid. Quid simplex? quid peremptoria? 70. Ad citationem legitimam quid requiratur? ib. Executori citationis quid faciendum? 73. Citationis effectus, 74. Finis ejusdem, ibid.

Consuetudo.

Consuetudo quotmodis sumatur? 232. Ejus Definitio, ibid. Quæ ad eam introducendam requirantur? 233. & seq. Quales actus consuetudinis introducendæ esse debeant? ib. Effectus consuetudinis in genere: 235. & seq. An stricti juris? an extendendi de casu a casu

casum, de persona ad personam, de loco ad locum? 236. Qui sint effectus consuetudinis præter legem, secundum legem, & contra legem? ibid: An consuetudo possit inducere aliquam legem, contra jus divinum vel naturæ 237. & seq: An & quatenus, leges humanæ, possint consuetudine rationabili abrogari, & an ad hoc determinatum tempus requiratur ib. & seq: Quod sit discrimen inter non usum, dissuetudinem, & consuetudinem contrariam? 243. An consuetudo possit dici rationabilis, quæ adversatur legi, rationabiliter latæ, & quæ dicatur rationabilis? 244. & seq. an actus, ex quibus consuetudo constat, debeant carere omni malitia, ut habeantur rationabiles? 245. Quomodo actus consuetudinis, qui sunt contra legem, possint contra eam præscribere, si sint malæ fidei: & quantum temporis requiratur, ut consuetudo præscribat contra legem? 250. & seq. An consuetudo rationabilis possit inducere legem non scriptam? & quid ad eam in tali casu requiratur? 252. Quid? si esset irrationabilis: ibid. Quid? si voluntas & consensus populi, ad introducendam consuetudinem requiratur? & quomodo hæc voluntas sit intelligenda? 254. Quantum temporis requiratur, ut consuetudo legem inducat? & quantum? ut consuetudo ha-

beat vim Legis? 255. & seq. An consuetud. Legi scriptæ æquiv aleat? ibid. Consuetudo quas personas obliget? 257. & seq. An, & in quibus casibus consuetudo Laicorum possit obligare Clericos? 259. An consuetudo possit Legem pœnalem totam tollere? 260. An & quatenus Lex pœnalis per consuetudinem possit derogari? 262. & seq. An Leges irritantes possint contraria consuetudine abrogari? ibid. An & quando per consuetudinem contrariam possit abrogari lex consuetudinem contrariam reprobans? ibid. An consuetudo habeat vim interpretandi leges & quas? 264. & seq. Quotupliciter consuetudo possit leges interpretari? ibid.

D. Dilatio Judicialis.

Dilatio judicialis quid sit? quando petatur? 93. Quotuplex sit? ibid. Quot ejus species? 94. Quid deliberatoria? quid probatoria? quid executoria? ibid. Effectus ejus. 95.

Dispensatio.

Dispensatio quid sit? qualiter interpretanda? quando stricte & quando favorabiliter, & quæ sit ejus materia? 220. Quotuplex sit? quæ requirantur? an inferior possit dispensare in lege superioris, ib. & seq. Dispensandi potestas quotuplex sit? 229 In quibus casibus Episcopus possit dispensare in Legibus

bus superioris? 227. Parochi & animarum curatores in quibus casibus dispensare possint? 228. Delegatio potestatis dispensandi an & quando sit favorabilis, vel stricti juris? 229 Legislator dispensans in lege sua sine justa causa, qualiter peccet, uti & subditus eam sine justa causa petendo? 239. Quę sit justa causa? ibid. An sine justa causa dispensatus peccet, utendo tali dispensatione? 231. An subreptio vel obreptio eam invalidam reddat? ib An locum in Dispensationibus habeat argumentum à paritate rationis & à majori ad minus. 221.

Et quot casibus hæc Regula tẽperanda sit. ib

Qualis persona sit capax dispensationis, 223

Quid sit expressa dispensatio & quæ ad eam requirantur. 224.

Quid sit tacita Dispensatio, an ut eam dare potest supremus Princeps, sic eam quoq; inferior dare possit. 225

E. Exceptio

Exceptio quid sit & quotuplex. 145. quid dilatoria, quid peremptoria, ibid. & seq. Exceptiones peremptoriæ quando proponi possint. 146. An, & quousque Exceptionibus contrariæ Exceptiones opponi possint. 147.

F. Forum competens.

Forum competens quid sit. 63. An Cleric?

in foro sæculari conveniri possit, & contra. 65
Quot modis dicatur aliquis sortiri forum. 64
Quando ratione domicilij. ibid
Quando ratione rei sitæ. ibid.
Quando ratione contractus, 65 & quomodo hic sumatur contractus. ibid.
Quando ratione delicti. ibid.
Quando ratione Privilegij. ibid.
Quando ratione consensus. 66.

I. Instrumentum.

INstrumentum quid sit? quotuplex? & publicum quomodo conficiendum. 129. An & quæ instrumenta, licet non à persona publica confecta, quoad effectum habeantur & dicantur publica. 130. Instrumenta publica quotuplicia sint, quæ judicialia, quæ extrajudicialia. 131 Instrumentum privatum quid sit, & quæ ejus species ibid. Quæ sit differentia inter publicum & privatum. ibid. An & in quibus casibus privatum fidem faciat. 132. Instrumenta quando & quomodo in judicio edenda. 134. & seq. An post Conclusionem produci possint, & in quibus casibus. ibid. quomodo interpretanda. ib.

Judicium.

Judicium quid sit. 59. quomodo dividatur, 60. & seq. Quid Ecclesiasticum, quid sæculare quid civile, quid criminale, quid mixtum. 60

Quid

Quid summarium, & quid plenarium, petitorium & possessorium quid sit? 63. quando incipiat? ib.

JURAMENTUM CALUMNIÆ.

Juramentum calumniæ quando & quomodo præstandum. 90. Et quid sit calumnia. ibid. Juramentum hujusmodi quænam contineat. ibid. Actor & Reus hoc Juramentum præstare recusantes quas pœnas incurrant. 91. Juramenti hujus effectus. ibid.

JUS CANONICUM.

Jus Canonicum quid sit, quando inceperit. 51. Si Canonicum contradicat civili, vel contra, quodnam servandum. 52. An Canonicum excellentius civili & qua ratione. 52. Quomodo dividatur & citetur. 54. & seq. Quot partibus hoc jus Canonicũ constet, 54. Quid sit decretum Gratiani, à quo & quando repositum, quæ sit ejus authoritas. ib. Qui sint quinque libri decretales, quo Pontifice & quo Consiliatore ac quo anno editi & quomodo citentur. ibid. Quid sit Liber sextus Decretalium, à quibus Pontificibus & quo anno editus & quomodo citetur. 55. Quid sint Clementinæ & quo anno editæ. 56. Quid sint Extravagantes Joannis. Et quid communes, 22.

Quis sit Author Libri sexti Decretalium. 55
Qualiter Leges & constitutiones Principum in foro Ecclesiastico recipiantur. 57.
An Leges canonicæ & civiles, obligent, si non fuerint receptæ, & quando censeantur receptæ vel non ib.
Et quid in specie de Concil. Trident. in concilio Provinciali recepto, & postmodum non observato. ibid.
Quid sit, & quomodo dividatur in Ecclesiasticum & civile. 48
Item unde dicatur Jus Sacerdotale, Regium, & Militare. ib.
Quomodo dividatur secundum eos qui Legibus ferendis præsunt & politicum Regimen constituunt. ib.
Quæ forma Regiminis dicatur Monarchia. 49
Quæ Aristocratia. ib.
Quæ Olichargia. ibid.
Quæ Dimocratia. ibid.
Quo anno jus civile à Justiniano editum fuerit. 50
Quot partes & quælibet pars quot libros habeat & sub quibus signis vel litteris citari soleant. ibid.
An & qualiter omnes Leges, quæ habentur in jure civili obligent, vel non. 51

Jus gentium.

Jus gentium quid sit. 39. quomodo divi-

datur. 40. Quomodo differat à jure civili. 41. Quid statuat & an mutari, vel in eo dispensari possit. ibid.

JUS IURANDUM.

Jus jurandum quid sit, & quæ ad valorem ejus requirantur. 138. Quomodo dividatur, & quid assertorium, quid promissorium, quid comminatoriū. 139 & 140. Assertorij sive decisorij quot sint species. ib. & seq. Vis & effectus ejusdem, 143. Jus jurandum suppletivum probationis ubi locum habeat. 142.

JUS NATURÆ.

Jus naturæ præceptivum & dominativum quid sit. 26. Quot modis aliquid dicatur esse de jure naturæ. 23.

L. LEX.

LEx ūde dicatur, quid sit, 1. quomodo dividatur? quæ sint ejus conditiones essentiales. Quis sit ejus finis propinquus & remotus 2. Quæ sit ejus causa efficiens. 34. Leges quinam condere possint. 34. Legislativa potestas unde & quot modis alicui competat. 6.

LEX ÆTERNA.

Lex æterna quid, 12. An differat ab Idea & Providentia divina? 13. quidnam respiciat? A quibus cognoscatur. ibid. An reliquæ leges ab ea deriventur. 14. quænam ei subjiciantur. 15.

LEX HUMANA.

Lex humana quid sit, 42. Ad quid conducat. 43. An derivetur à lege naturali. 44. Quæ sint qualitates ejusdem. 46. Quomodo dividatur. 47. &seq. An & qualiter obliget extra territorium Legislatoris. 184. An delictum extra territorium commissum postea intrailud puniri possit. 185. An Leges territorij propriæ obligent advenas & qualiter. ib. An Leges civiles obligent Ecclesiasticos & quomodo. 186. An Lex humana debeat respicere bonum commune, & omnia vitia prohibere. 188. an omnes actus virtutum præcipere possit, & an actus mere internos præcipere vel prohibere possit. 190. & seq. an obliget in foro conscientiæ 195. an & quando sub mortali. 196. & seqq. an & quando cum periculo vitæ. 199. ob quas causas possit mutari. 218. an semper mutanda, quando occurrit aliquid melius. 219. an justi subsint Leg. humanis 214

LEX NATURALIS.

Lex naturalis quid sit. 16. an ejus præcepta sint plura, vel unum. 17. an eadem sit apud omnes. ib, an possit mutari. 19. & seq. an à corde hominis possit aboleri. 38.

Quot modis dici potest, quod sit aliquid. sit de Lege naturæ. 17

Quæ sit differentia inter jus naturæ præceptivum & dominativum. 23. An

An Præscriptio juris civilis mutare possit jus Naturæ. 27
An Præcepta Decalogi sint immutabilia. 28
An Dispensatio in Lege naturæ locum habeat. 29
Et an & qualiter dici possit, quod in ea Deus dispenset. ib.
Quomodo Abrahamo mandaverit oblationem filij. 31
Quomodo permiserit filios Israel aufferre suppellectilem Ægyptiorum, & Ozeæ sumere mulierem fornicariam. 32
An in Lege naturæ Epikeiia locum habeat. 34
Quomodo Lex Naturæ in hac materia considerari debeat. 36

LEX POENALIS

Lex pœnalis quid sit & quotuplex. 202. & & seq. an pœnalis mixta copulative, vel disjunctive posita, obliget in conscientia. 203, & seq. Purè pœnalis an & ad quid obliget. 204. an ad pœnam subeundam obliget in conscientia ante Sententiam Judicis. 208. & seqq.
Quæ dicatur pœna Sententiæ ferendæ & quæ latæ. 205
Quibus loquendi modis hæc pœna discerni possit. 206
Quæ sit sententia declaratoria, quæ condemnatoria. 208

Quid

Quid si lex contineat sententiam ferendam ad quid obliget. 134
Quid si contineat pœnam latæ sententiæ, quæ sibi ipsi quis non potest ibid.
Quid si Lex contineat latam sententiam, quæ in ipsa prolatione infligitur. ib.
Quid si contineat latam sententiam quoad bona fortunæ. 135

LEGIS EFFECTUS ET ACTUS.

Effectus Legis an sit hominem facere bonum. 8. quinam sint ejus actus ibid.

LEGIS HUMANÆ POTESTAS.

An & quis Magistratus humanus habeat potestatem condendi Leges? qualis hæc esse debeat? & an sit in aliquo singulari homine vel tota communitate; & an hæc illâ privari non possit. 181. Si sit in uno homine vel Principe, unde derivetur. 182 an Imperator habeat potestatem ferendi Leges obligantes totam Ecclesiam. 183 Item an Rex, Communitas perfecta, & alij superiorem non habentes pro suis Territorijs leges condere possint. ibid. 184

LEGS PROMULGATIO.

Promulgatio an sit de ratione Legis? 7. Lex æterna & naturalis quomodo & quando promulgata. ibid. Lex positiva divina

Divina, & Humana quomodo promulganda. 8. Ignorantia Promulgationis an & in quo foro excuſet. ibid. Lex irritans contractus, Donationes, Electiones &c. Item revocans privilegia, qualem promulgationem requirat. ibid. Lex Pontificia quomodo promulganda. 7.

LEGISLATOR.

Legislator an obligetur propriis legibus? an incurrat pœnas, quas ſuis legibus conſtituit? & an Epiſcopus incurrat Excommunicationem quam ſuâ auctoritate tulit? 214. & 215. An non ſaltem ex naturali æquitate, & rationis dictamine teneatur ſuis legibus. ib. Legislatoris prava intentio quando vitiet legem, quando non. 3.

LIBELLUS.

Libellus quid ſit, & quando offeratur. 75. Ejus deſcribendi Copia Reo facienda. ib. Qualis eſſe debeat? 76. Alternativus quandò toleretur? ibid. In Civili & Criminali quid exprimendum? 77. An plures actiones vno libello cumulari poſſint. ib. Libello Actoris exhibito, quando reſpondendum? 78. An in omni Judicio exhibendus ſit libellus? ibid. An & quamdiu poſſit libellus mutari. 79. quamdiu emendari? ibid.

LI-

LITIS CONTESTATIO.

Litis Conteſtatio quid ſit. 86. quomodo inducatur? 87. & ſeq. Qui ſint ejuſdem effectus. 88.

LITIS PENDENTIA.

Regula Juris, ut lite pendente nihil innovetur: & quomodo hæc ſervanda. 106. & ſeq. Lis quando pendere dicatur. 107.

O.

OBREPTIO.

OBreptio & Subreptio quomodo diſtinguantur. 287.

P.

POENA.

POEna quomodo conſtituatur à legibus? & quid ſit pœna ſententiæ Latæ & ferendæ. 286. Unde dignoſcatur, an pœna ſit ſententiæ latæ, vel ferendæ. ibid.

POSSESSIO ET JUDICIUM POSSESSORIUM.

Poſſeſſorium Judicium quotuplex ſit? & quid ſit Poſſeſſorium rei adipiſcendæ, vel retinendæ, vel recuperandæ? 98. Exemplum Poſſeſſorii rei adipiſcendæ 99. & ſeq. Exemplum Poſſeſſorii rei retinendæ. 100. Exemplum Poſſeſſorii rei recuperandæ. 101 Poſſeſſorium rei retinendæ quomodo dividatur? & quid ſit ordinarium ſeu Plenarium? quid ſum-

summarium, vel Summariissimum, sive momentaneum. ibid. Quare hoc dicatur Summariissimum & momentaneum? 102. Possessio quomodo probetur? ibid.

PRIVILEGIUM.

Privilegium vnde dicatur? quæ includat & significet. 267. Ejus definitio & explicatio. ibid. An de privilegii substantia sit scriptura necessaria? 268. Privilegium humanum quomodo dividatur. ibid. Quid sit Privilegium Reale, & quid Personale: quid perpetuum, quid temporale? ibid. Privilegia qui & quales concedere possint. 269 qui sint ejus capaces 270. Privilegii concessio ad alicujus instantiam, vel ex proprio motu. Superiors, quæ sit differentia? ibid. Privilegium à Papa Concessum an & quando ubique valeat. 271. An Privilegia à Prælatis, Episcopis, aut Principibus concessa, extra Territorium vel Diœcesin valeant? ibid. An & quatenus possit aliquis extra territorium privilegio suo uti. 272. & seq. Qualiter privilegium quoad suos effectus sit interpretandum. ibid. Privilegium quando reputetur odiosum? ibid Privilegiorum verba quomodo tenenda & observanda? 273. Quæ regulæ ad extensionem verborum in privilegiis attendendæ. 274. & seq. Unde proprietas verborum

borum in privilegiis sumenda sit. ib. Quid, si verba privilegii sint ambigua? ibid. Privilegium an exspiret per mortem concedentis. 275. qualiter possit quis renunciare privilegiis? 276. Quot modis possit contingere, ut quis non utendo privilegio illud pendat, & quando id fiat. ib. Quænam privilegia possint præscriptione amitti, quænon? 277. Quantum temporis requiratur, ut privilegium amittatur per non usum? ibid. An & quatenus privilegium per contrarium usum amittatur. 278. An per unam contraventionem amittatur? ibid. quantum temporis requiratur, ut privilegium amittatur per contrarium usum? 279. Quænam privilegia semel concessa revocari possint; quænam non. ibid.

PROBATIO.

Probatio quid sit. &. quotuplex. 108. Probatio plena quid sit & quot testes ad eam requirantur? 109. Semiplena quid sit? 110. & seq. Judicialis & Extrajudicialis quid sit. 111. Quid litigantibus sit probandum? ibid. An neganti quandoque incumbat probatio? ibid. Judicialis probatio quando facienda. 113. quando non admittenda? ibid. Extrajudicialis quando fieri possit. 114. Probationis qualitates, finis, effectus? 115. Probationes Actoris

Actoris & Rei si pares fuerint, pro quo pronunciandum ? 115. Probatio per testes frequens est & efficax, ac in omni judicio locum habet ibid.

R.

RECONVENTIO.

REconventio sive Mutua petitio quid sit, 80. Actor Reconventus an possit excipere contra forum incompetens ? ibid. An coram quocunque Judice Reus Actorem reconvenire possit ? ibid. & seq. Reconventio ubi locum habeat. 81. Actor reconventus possitne Reum reconvenire ? 82. Quando Reconventio proponi debeat ? ibid. & seq. Actor nolens respondere ad libellum reconventionis, quam pœnam incurrat. 83.

RECUSATIO JUDICIS.

Recusatio Judicis quales effectus habeat, & an suspendat Jurisdictionem, si sit legitima. 177. Recusationis Exceptio quando proponenda, & quomodo ? & an causa ejus in libello exprimenda, & quomodo ulteriùs procedendū. ib. & 178 Differentia inter Jus Canonicū & Civile de Recusatione Judicim. 179. An Commissarii dati ad examinandos testes recusari possint ? 180. Quæ sint causæ justæ recusandi Judicem ? ibid.

RE-

RESCRIPTUM.

Rescripti definitio & explicatio. 281. Rescriptum quomodo differat à Privilegio. 282. Rescriptum quinam impetrare possint, quinam non? 283 & seq. Rescriptum contra quos, & super quibus rebus impetrari possit. 284. Rescriptorum specialium quot sint genera. ibid. & seq. quæ ea dicantur. ibid. Quæ clausula in Rescripto Pontificis semper subintelligatur, & an rescripta Principum hac omissâ Clausulâ valeant? 287. Quando rescriptū ipso jure sit nullum? ibid. & seq. quando valeat? ibid. quid in rescriptis impetrandis observari debeat? 188. Quid? si duo ad idem Beneficium Rescriptum impetrent? 289. quid faciendum? si in Rescriptis suboriatur aliqua dubitatio. 291. & seq. Rescriptum quando sit suspectum. 292. quando invalidum? ibid. Ad lite pendente à litigantibus possit impetrari? 293. Rescriptum contra Jus, an valeat. ibid. & seq. An subreptio in una parte Rescripti Regulariter vitiet Rescriptum. 294. & seq. Subreptio in Rescriptis per quas clausulas tollatur. 295.

S.

SENTENTIA.

SEntentia quid sit. 148. quomodo dividatur? ibid. Definitiva quid sit? quid Interlocutoria

toria ? ibid. Hæc quomodo ſubdividatur? quid ſit Interlocutoria mera ? quid Interlocutoria vim ſententiæ Definitivæ habens ? 149. Sententia quomodo ferenda. 151. Quæ requirantur ad ejus valorem ibid. An poſſit ferri ſecundum ſcientiam privatam ? ibid. Intra quod tempus , & quibus ferenda ſit? 152. An condemnationem vel Abſolutionem ſemper continere debeat, & an cauſa in ea exprimenda ſit. 153. Finis & effectus Definitivæ ſententiæ? ibid. Sententia ſemel lata an & quomodo reſcindi poſſit. 154. Sententia Declaratoria & condemnatoria quid ſit. 208

Spoliatorum Restitutio.

Regula Juris de ſpoliato reſtituendo. 102. Aliqui caſus in quibus ſpoliatus non eſt ante omnia reſtituendus . 103. Res ſpoliata quomodo reſtituenda, 104. Quid. Actori probandum, ut reſtitutionem obtineat ? ibid. Spoliatus quis dicatur. 105.

T.

Testis.

TEſtis quis dicatur, & qualis eſſe debeat, & quinam ad teſtimonium ferendum admittantur, qui non. 116. & ſeq. Teſtis domeſticus quis dicatur, & quinam numeren-

rentur inter Testes domesticos. 117. & 118. Testis Laicus contra Clericū quando, & quomodo non admittatur. 121. modus producendi & recipiendi testes. 78. Testis quid, & quando jurare teneatur, antequam ad testandum admittatur. 124. De quibus testes sint examinandi? ibid. quomodo Testis dictum suum debeat posse probare. ib. Ad Juramentum suppletorium probationis per unum testem quid requiratur? 127. Productio & reproductio testium quamdiu à Judice permittenda. 128. Testium dicta quando & quomodo publicanda? ibid. Publicatione attestationum peractâ, an super iisdem, vel directè contrariis articulis iidem, vel alii testes produc queant? 129. Monachi, Canonici Regulares, aliique Religiosi, an testificari possint. 121.

FINIS.

NUCLEUS MYSTICUS LEGIS ET IUSTITIÆ EVANGELICÆ

IN QUO

MUNDI VANITAS, DIABOLI fraudes, Carnis Corruptio, vitiorum turpitudo, virtutum decor, Memoriæ Nouissimorum, & carnis mortificationis utilitas; cæteraque ad æternam salutem necessaria, brevibus explicata, continentur: Ex ipsis Divini verbi floſculis, & SS. Patrum viridariis collectus; & in hanc compositionem carmine Heroico redactus.

OPERA ET STUDIO

A.dum Reverendi & Eximii Domini

EWALDI MARCHII,

SS. Theologiæ Licentiati, Insignis Collegiatæ Ecclesiæ, ad S. Joannem Osnabrugi Canonici, ac Eminentissimi S. R. E. Cardinalis, FRANCISCI GUILIELMI, Principis & Episcopi Osnabrugensis &c. Consiliarii.

Editio tertia auctior & correctior.

✠

COLONIÆ AGRIPPINÆ
Typis & Sumptibus WILHELMI FRIESSEM
Bibliopolæ. Anno 1660.

LEX Domini immaculata, convertens Animas: Testimonium Domini fidele, Sapientiam præstans Parvulis. *Psal.* 18. v. 8.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & totâ Animâ tuâ, & in totâ mente tuâ &c. Et Proximum tuum, sicut teipsum: in his duobus mandatis, universa LEX pendet, & Prophetæ. Matth. 22. Marci 12. Lucæ. 20.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

CUM SALVATOR noster CHRISTUS, Sacræ suæ Humanitatis, (a) (in quâ, omnis plenitudo Divinitatis, habitabat corporaliter) Majestatem & Gloriam aliqualiter adumbraturus, cum Petro, Jacobo, & Joanne, Montem Thabor conscenderet, (b) ejusdemque minimum quendam radium, vultus & corporis sui splendore, medius inter Moysen & Eliam, oculis eorum videndum præberet: in tantam, ex hoc visu, raptus est extasin Petrus, ut trium sibi TABERNACULORUM permitti peteret exstructionem: verum, hujus sui voti effectum, tunc minime obtinuit, non enim Deus, (c) qui fecit Mundum, & Omnia, quæ in eo sunt, cum sit Cœli & Terræ Dominus, in Templis manufactis habitat, nec materialibus ædificiis, tantopere delectatur, sed illis potius, quæ (d) construuntur ex lapidibus vivis, tunsionibus & pressuris expolitis, lotisque suis, concinno ordine, per manus cœlestis Artificis coaptatis, ex quibus tandem,

(a) *Coloss* 2. (b) *Matth.* 17. & 2. *Petri.* 1. (c) *Actor.* 17. (d) *Hymnus Ecclesiæ.*

dem, spirituale ædificium, in Cœlum consur-
git, in quo, (e) omnes Domestici, duplici
Caritatis, Dei & Proximi, veste induti, (f)
ascensiones in corde suo disponunt, (g) ma-
nusque suas, extendunt ad fortia, & super Al-
tare (h) Thymiamatis, quod circumfe-
runt in Templo Cordis sui, Deo offerunt,
Thus Devotionis, Myrrham Mortificationis,
Aurum Obedientiæ, Laudis, Gratiarum ac-
tionis, & bonæ promptæque (i) volun-
tatis, quæ, sicut oleum, super omnes liquores
natat; ita & hæc inter virtutes omnes, Prin-
cipem locum tenet; Estque Deo gratior, su-
per omnia Sacrificia, & Holocausta Anima-
lium medullata, cujus virtus, nec ipsum Po-
tam Ethnicum latuit, qui cecinit:

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas:
Hac ego contentos, auguror, esse Deos.
Hæc facit, ut veniat, Pauper quoque gratus
ad Aras,
Et placeat cæso, non minus Agna, Bove.

Hinc Ego, hujus tantopere Privilegiati
bonæ voluntatis piâ confidentiâ inducta
tria Spiritualia TABERNACULA ad Ho-
norem Sanctissimæ TRINITATIS, &
divid

(e) *Parab.* 31. (f) *Psal.* 83. (g) *Psal.*
31. (h) *Exodi.* 20. & 31. *Luc.* 2.

dividuæ UNITATIS, pro virium mearum exiguitate, humillime exstruxi. Verum, cum mihi nulla alia supellex, quam in ea inferrem, ad manus esset, Hinc, ne in Conspectu Dei vacuus apparerem, in singula TABERNACULA unum NUCLEUM intuli, & ad Aras uniuscujusque TABERNACULI deposui, & PRIMUM quidem, de JURE & JUSTITIA, DEO PATRI, cui JUSTITIA, quam in eo tradidi, propriè attribuitur. Secundum vero de LEGIBUS, DEO FILIO obtuli, huic enim Sapientia adscribitur, quæ in condendis & exequendis LEGIBUS, maxime requiritur. At hunc Tertium MYSTICUM de LEGE EVANGELICA, SPIRITUI SANCTO, uti Charitatis & Misericordiæ Auctori, inscripsi, quo operante, hæc LEX Mundo annunciata, & per ejus gratiam, Levis & suavis Hominibus facta fuit.

Quem, hac tertiâ Editione, modo auctum & correctum tuo bono, LECTOR BENEVOLE, denuo in Lucem edidi, sperans, ejusdem succum, non minus tibi placiturum, quam priorem, cum illi duo Nuclei ista Præcepta tradant, quibus Pax & Tranquillitas, quæ in Legum observatione, & JUSTITIÆ administratione consistit, in Mundo

conservetur. Hic vero instruat, qualiter Pa
Conscientiæ, uti & cum Deo, & Hominibus
simulque æterna Beatitudo, obtineri possit
Quanto igitur præstantior est Anima corpo-
re; Sic hujus NUCLEI Materia, cæteris
dignior, gravior, & utilior est, cujus succum,
magno studio, ex ipsis Sacræ Scripturæ, & SS.
PATRUM Floribus, fideliter excerpsi, ut
tanto majorem fidem mereretur.

Nec me, ab hoc pio proposito abstraxit
immensus Labor, quem in exquirendis, ci
tandis, & applicandis Sacræ Scripturæ loci
impendi, nec etiam prævisa Aliquorum for
te sugillatio, quod Theologus, Versu, han
LEGEM EVANGELICAM descripserim
Per hunc enim, Laborem meum magis aux
Quem tamen, ex Amore Salutis Proximo
rum, non subterfugi, & animosius susceptu
ad hujus DIVINÆ, EVANGELICÆ
QVE LEGIS, utilissimam Cognitionem
Amorem, & salutare Exercitium, Metrica
variatione, LECTOREM pellicerem, ea
que brevibus, multa complecterer, quæ c
tius memoria, quam prosam caperet, & te
nacius inhærerent; secutus in hoc S. GRÆ
GORIUM NAZIANZENUM, DAMA
SUM Papam, PETRUM DAMIANUM
SEVERUM SULPITIUM, FULGEN
TIUM

TIUM. POËTIUM, PRUDENTIUM, JUVENCUM (quem citat S. Hieronymus) alioſque quam plurimos, inter quos & ipſe S. AUGUSTINUS, qui caput 13. Meditationum à carmine exorſus eſt. Imo ipſa S. Mater Eccleſia in pluribus Canticis, & Hymnis ſolennibus carmine utitur.

Nec mihi ſuccenſebis, vitiove vertes, LECTOR BENEVOLE, Carmen meum, durius aliquando fluere, nec elegantiam fortè Poëticam ubique ſapere, cum in illo potius, ad ſenſum genuinum Sacræ Scripturæ, eumque propoſitæ Materiæ accomodandum, attenderim, & ut Theologus, ad interioris Hominis renovationem, & perfectionem magis reflexerim, quam, uti Poëta, ad dulcem carminis modulationem; nec tam in perſuaſibilibus Humanæ Sapientiæ verbis, Sciolos vel curioſos Cenſores, magis prudentiam carnis, & non ea, quæ ſunt Spiritus, ſapientes, inſtruere intenderim, quam Animæ Deum timenti, & æternam Salutem, ſincero corde quærenti, ſimplici Stylo (quo & ipſa S. Scriptura utitur) viam planam, & rectam demonſtrate, per quam ſecure, & ſine offendiculo, ad Cœleſtem Patriam, pervenire, deviaque & Laqueos, ab Inſidiatore Hoſte poſitos, prudenter evadere poſſit; Huc enim

totus, & solus meus collimat Scopus.

Hunc igitur meum Laborem, Dei Honori, & Proximorum saluti, dicatum, æqui bonique, Candide LECTOR, consule ac Præcepta tradita, in praxim redige, Tunc tuæ propriæ saluti, fructuosè consules, & piæ intentioni meæ, ac Exspectationi, plene satisfacies. His Vale, & pio meo Conatui Fave.

HERACLITUM ajunt, lachrymas fudisse frequentes,
DEMOCRITUM crebro Mundum risisse cachinno:
Hic tibi, si fatuus, Fletus Risusque videtur,
Falleris: his signis mysteria docta natabant;
Blandimenta, Jocos, Ludibria, Gaudia vana,
Mundi, Heraclîti deflere pupilla docebat:
Hæc quoque Ridebat, patulo Democritus ore;
Hinc causa una fuit Fletus, Risusque Duorum,
Nam pravos Hominum mores carpebat uterque;
Qui nunc in Mundo, simili grassantur abusu;
Verius attingit meus hos, monstratque LIBELLUS,
Errores carpens, virtutum Semina spargens,
Pandit Iter Cœli, versuti Dæmonis astus

Pro-

Prodit, & æternæ piâ dat documenta salutis,
In verbo fundata Dei, quod fallere nescit:
Est Animæ speculum, maculas quod detegit omnes,
Quæ longo cœcam latuerunt tempore mentem,
Norma piæ vitæ est, & consolatio cordis:
Hunc igitur si sæpe legas, & corde reponas,
Gustum spero dabit, Pietati Calcar acutum
Addet; Peccati noxas vitare docebit.
Nil tibi, res Mundi, poterunt superaddere maius.

CARMEN AGGRATULATORIUM
IN
TERTIAM EDITIONEM
NUCLEI MYSTICI LEGIS ET JUSTITIÆ EVANGELICÆ
Admodum Reverendi & Eximii Domini
EWALDI MARCHII,
SS. Theologiæ Licentiati, &c. Ejusque Insignia, LEONEM & AQUILAM; & dictum, FORTITER & SUAVITER.

SI LECTOR cupias Animæ curare Salutem?

Noscere & innumeras, Dæmonis Insidias?
Corruptos Hominum mores? Et Gaudia falsa?
Inferni Pœnas? Judiciumque DEI
Quid sit Dura pati, Rationi subdere carnem?
Quantum virtutis, Justitiæque decus?
Instabilem vitam, mortis quoque Spicula certa?
Passio quid CHRISTI? quid Timor ipse DEI?
Qualiter in mundo vivendum? Quæque cavenda?
Cunctorumque Hominum facta notare DEUM?
Otia quid noceant? Pravi & Consortia Cœtus?
Quæque voluntatis, præmia magna bonæ?
Gaudia Sanctorum? Laudes & Virginis almæ?
Lucifer exoriens? vespera quidve petat?
Quid sit Divinus Timor? Et quæ Oratio poscat?
Et quam mercedem, Pauper Egensque dabunt?
Æternum quid sit? Quanta & Patientia virtus?
Quid Purgans Ignis? Quæ via recta poli?

Judi-

Judicium Extremum quid? Quid vox: Ite,
Venite?
Et quæ Peccatis Pœna perennis erit?
Mysticus hæc NUCLEUS, multa & bona plura docebit?
Quæ servire queunt, pro medicinâ Animæ.
Ex verbis Sacris (propriis vix utitur ullis:)
Omnia, quæ profert, ritè probata dabit.
Humanas LEGES, NUCLEI docuere Priores,
Divinasque docet Mysticus hic NUCLEUS,
Illis dirigitur Mundus, conquiritur hocce Cœlum, Pax cordis, gratia sancta DEI,
Humanas LEGES defendunt Arma LEONIS:
Divinas Aquilæ, lumina perspicua:
Quadrupedis, volucrisque docent, Insignia, mundi
JUSTITIAM, & LEGES, Juraque sacra Poli,
Fortiter in NUCLEIS primis, Injusta vetantur,
Mysticus hic, suavem monstrat ad Astra VIAM.
Suaviter & castum suadet virtutis Amorem,
Servandique Animam, dat documenta Sacra!
Quæ si conserves, gustabis Gaudia cordis,

Quæ præbere solet, mens bene fixa DEO:
Iste triplex succus NUCLEORUM, mixtus in unum,
Contra Animi morbos Pharmaca sana dabit!
Est sacer hic TRIADIS numerus, defendet Inermes,
A mundi, Sathanæ, Carnis & insidiis:
Quod Scriptis Auctor docuit, monstravit in Ara,
Quam posuit vivens URSULA Sancta Tibi,
Et Sacra Festivis, cunctis Fundata diebus,
Divino Zelo, quæ celebranda dedit:
Hinc præsens NUCLEUS, penetret si viscera cordis,
Invenies requiem, quam dabit hic Animæ,
Et quæ, perpetuæ poterunt prodesse Saluti,
Pro quâ servandâ, cura perennis erit,
Quæ si deficiat, labor est Fructraneus omnis,
Exulat è Mundo, cum Pietate Fides.

Domino Fautori & Patrono suo observandissimo submisso affectu accinebat.

BERNARDUS BANNIER Vicarius, & Possessor Altaris S. URSULÆ ac SS. EWALDORUM in collegiatâ S. JOANNIS Baptistæ.

NUCLEI MYSTICI LEGIS ET JUSTITIÆ EVANGELICÆ.

§. 1.

Demonstrat rectam & veram Viam, quæ ad Cœlum ducit, & in quo consistat Perfectio vitæ Christianæ explicat, ac crassos vulgi errores detegit.

Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matth.* 11 *v.* 12.

Intrate per angustam portam, quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad Perditionem, & multi sunt qui intrant per eam *Matth.* 10 *v.* 13.

Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniant eam. *Ib. v.* 14.

ERror quo totus prope circumducitur orbis.
Indoctis, doctisque frequens, communis ubique.
Exceptis paucis, queis lux affulsit ab alto,
Errores monstrans, immissos Dæmonis arte,
Ut videant tenebras, quas hic pro luce reponit;
Est Animis infixa nimis, persuasio certa,

Vivere se recte, & dignos mercede supernâ,
Dum peccata cavent, Mortis quæ nomine dicta,
Et Præcepta Dei digitis, inscripta Tabellis
Servant, quâ Judæa simul gens Lege tenetur
Vim nulli faciunt, cunctis sua debita reddunt,
Publica non alijs vivendo, scandala præbent
a Multiplicantque preces, quando devotio suadet,
b (Sit suspecta licet, puro nisi corde profecta
Conditio aut absit, Pietas quam vera requirit
Ut sit prompta, frequens, velox & in alta feratur)
Cum tamen, internis vitijs, hi sæpe laborent,
Propter perversos, ex consuetudine mores,
c Ut cæci, nequeant internas cernere sordes,
Quin his, virtutum sacro velamine tectis,
d Se fulgere putant, cum sint nigredine turpes,
Nec satagunt, Animi motus compescere pravos,
e Illorum ductum, veluti jumenta sequentes
Quæ præsens avidè quærunt, oblita futuri
f Non minus instabiles vento, quo fertur Arundo,
Tristia si cedant, mœsti, si læta, protervi.

Hic

(a) *Luc.* 18 (b) *Ib.* (c) *Mat.* 13. (d) *Mat.* 23. (e) *Psal.* 31. (f) *Matth.* 11.

Hic cursus Mundi, & vulgi persuasio cœca;
est;
g Heu errant, æterna salus, majora reposcit,
Quæ pretiosa animis, sudores exigit amplos;
Est rude, quod primâ terrâ, producitur aurum
Redditur ast purum, humanis ac usibus aptum
Et splendore micat, precij est, magnique valoris,
Sed non ante, labor si non purgarit & Ignis:
Sic nil gratuito Cœlum dat, cuncta labore
h Vendit, ad arma vocât, Bellorum postulat usum,
Est mollis miles, qui non expertus in armis,
Ductoremque gemens sequitur, dum prælia fervent;
i Dux Belli Deus est, nova qui certamina condit,
Quæ fortes animos, non fortia corpora poscunt,
Internis constant armis, externa repellunt,
Gloria nam Regis nostri, consistit ab intus,
Cujus Militiæ, virtutes arma ministrant,
Spes, Amor (k) atque Fides, gladius sunt, Lancea, Scutum,
Et portare Crucem patienter, gloria summa est;

Ta-

(g) *Matth.* 11. (h) *Psal.* 143. *Iob.* 7, 1. *Tim.* 6.
(i) *Iud.* 5. (k) *Psal.* 41.

Talia Bella Deus jubet, his prosternitur hostis,
Antiqui robur, quo devincuntur nermes,
Qui requiem quærunt, quando pugnare jubentur;
Hanc gradiēdo viam, nemo pervenit ad astra,
Jucunda in vita, tristis sed morte futura
l Declinare malum, exercere bonum, Via cœli est,
Et Mundi perferre mala, ejus semita recta
m Aspera principio, cumulat sed gaudia finis
Quam brevibus notam reddam, ut sit pervia cunctis,
Devia, & Ambages, digito monstrabo nocivas.
Consiliumq; dabo, cujus præscripta sequēdo
Ad Patriam recte ducent in fine supernam,
Praxis erit facilis, dextram si apponis aratro,
Suscipiens curam, quam in res impendis inanes;
n Omnia despicito, quæ fallax diligit orbis,
o Commoda, divitias, vulgi vanosque favores,
n In quo nulla quies, miseris spes nulla salutis

(l) *Psal. 36. S. Greg. hom. 13, in Ev.* (m) *Prov. 15 Sap 10 Isa. 5* (n) *Ioan 1. c. 2. 4 &* (o) *Ioan. 2. & 4. S. Bern. difficile est esse in honore sine timore, in prælatione sine elatione, in dignitate sine vanitate, raroque est humilitas honoris.*

p Magnatumque gradus, vel grandia culmina honorum,
Cum satient minime, tendant sed semper in altum,
Ut lapsu graviore ruant, noceantque saluti.
q Hæc mala, declinant humiles, queis gloria sola
Est, servire Deo, toto quoque corde placere;
Magnorum hinc rident studia, & molimina vana,
Ut fundata minus, paries quam nixus arenæ,
Qui cadit, exiguo ventorum turbine motus:
r Tu custodi animam, vitij nec pollue labe,
s Quam si contraxit, subito Confessio purget
Reddere nec differ, læsus queis Proximus à te est,
t Ac forti propone animo, Peccata cavere,
u Sincere servito Deo (x) Pareto libenter
y Ipsius & Numen, reverenter amato, timeto
z Judicium, Infernus, Cœlum, Mors certa futura
Ante oculos sint fixa tuos, in corde quiescant

aa Si

(p) *Esther* 3. & 7 *Iud.* 13, *Isaiæ* 14. *Dan.* 4. 2. *Machab.* 9. (q) *Isaiæ* 61. 1. *Petri* 5. *Matth.* 5. *Ps.* 35. (r) *Prov.* 4. *Hab.* 2. *Mat.* 5. (s) 2. *Reg* 12. *Ps.* 21. (t) *Lucæ* 19. (u) *Deutr.* 6 2. *Thess* 1. (x) *Psal* 118. *Ioân.* 13 & 23 (y) *Ps.* 17. *Eccl.* 13. *Prov.* 18. 1. *Ioann.* 4. *Iac.* 1. & 2. (z) *Eccl.* 7.

aa Si adverſi caſus, quos inconſtantia rerum
Profert, ſuccedant, ſemper divina Voluntas
Sit ſcopus in cunctis, Illi te ſubjice totum,
bb Tum meliore feres animo, adverſantia
quævis,
Et meritum in Cœlis majus, patientia reddet
cc Eveniant morbi *dd* Paupertas *ee* Læſio famæ,
ff Seu Mors, Contemptus, Jactura *gg* Injuria,
Visque,
Et quæ inferre poteſt crudelia, ſæva Tyrannis,
hh Non turbent, meriti datur his occaſio magni,
ii Nullus humo dolor egreditur, ſed ab Æthere ſummo,
Unde bona & mala proveniunt, nec ſorte geruntur;
An curare Deum credis, ſublimia Cœli?
kk Non homines? Sapis haud, nam cura eſt de
omnibus illi,
ll Quo ſine nec crinis de corpore profluit ullus. Hinc

(aa) *Iob.* 1. 1. *Reg.* 3. 1. *Machab* 3. *Matth.* 6, (bb) *Pſal.* 89. 1. *Iac.* 5. *Matth.* 5. (cc) 4 *Reg.* 20. *Iſ.* 38 (dd) *Luca* 16. (ee) *Dan.* 13 (ff) *Gen.* 37. *Matth.* 5 (gg) *Ioann* 1. & 16. (hh) *Pſal.* 89. (ii) *Iob.* 5 *Eccl* 11 (kk) *Sap.* 6. *Pſal.* 45. 1. *Pet.* 5. (ll) *Matth.* 10. *Luca* 12.

Hinc Adversa sciens, de sede venire superna,
Non desponde Animum, læto sed suscipe vultu;
(mm) Sit tua vita Labor, (nn) Gemitus (oo) Patientia (pp) Cruxque.
(qq) Sit Mors in votis, sitque (rr) Expectatio Cælum,
(ss) Et quæ magna putat mundus, quasi stercora sperne:
(tt) Mortifica affectus, quoties ad devia flectũt
(uu) Principijs obsta, vitijs si semina præbent,
Ut non æternæ, pariant mala germina mortis.
(xx) Non sis solicitus, corpus quæ commoda poscat,
Sola Animæ sit cura tuæ, æternæque salutis,
(yy) Ut licet adveniat Mors improvisa, paratum
Inveniens, non pœna foret, sed janua vitæ.

Quâ

(mm) *Prov.* 10. & 31. *Eccl.* 7. *Psal.* 127. (nn) *Psal.* 6. & 37. *Matth.* 5. (oo) *Psal.* 9. *Eccl.* 2. *Lucæ* 8. *Rom.* 5. *Hebr.* 10. *Coloss.* 1. *Iac.* 1. 2. *Petri* 1. (pp) *Matth.* 10. *Luca* 9. & 14. *Gall.* 1. & 6. (qq) *Psal.* 4. *Iob.* 10. *Rom.* 7. (rr) *Phil.* 3. (ss) *Phil.* 3. *Psal.* 83. & 41. (tt) *Gen.* 24. *Psal.* 43. *Rom.* 8. *Coloss.* 3. (uu) 1. *Petri* 5. *Iac.* 1. (xx) *Psal.* 19. & 1. *Petri* 5. *Lucæ* 12. (yy) *Matth.* 10. *Dan.* 13. (zz) *Matth.* 13. & 14. *Lucæ* 12. S. *Greg. hom.* 13. *in Evang.*

Quâ datur ingressus, Cœlorum ad gaudia certus:

aaa Nulla quies homini, carnis qui captus amore,

bbb Sola quies Animæ, vitiorum sordibus expers

Dat veram Pacem, cui tristia nulla nocebunt

ccc Hâc habitâ securus eris, nec bella timebis,

ddd Et nihili facies, vanus quæ Mundus adorat,

Soliciteque ambit; quæ oculi perduntur in ictu;

Nec minus utilia, hæc Præcepta sequentia tradent,

Quorum si ductum fueris per cuncta secutus

Cœlesti fœlix scriberis civis in Aulâ.

§. 2.

(aaa) *Eccles.* 1. *Ezech.* 7. *Osee* 4 2. *Reg.* 13. (bbb) *Prov.* 15. *Psal.* 4 & 26 *Phil.* 4. *Coloss.* 3. *Iac* 2. *Rom.* 2. (ccc) *Psal.* 22. 45 & 55. *Eccli.* 34. (ddd) *Eccles.* 1. *Phil.* 3. *Sap.* 5 *Luca* 12. 1. *Ioan.* 2 *S. Chrysost. in Serm. contra concubinarios.*

§ 2.

Arguit hominum imprudentiam, circa considerationem Novissimorum.

Gens absque consilio est, & sine prudentiâ utinam saperent, & intelligerent, ac Novissima providerent. *Deutr.* 32. *v.* 28. *&* 29:

a CUr sic vivis homo, ut semper victurus in orbe?
Cum mors per cunctas horas, sua tela minetur,
Exspectans tempus, vitæ quo terminus instat
b Ut rapiat corpus, Terræ deducat ad antra,
c Et vermes rodant, serpentes pabula carpãt,
d Excipiatque Animam, Cœlum, vel dirus Avernus,
e Ut feret eventus, dubius qui sæpius hæret,
Sorti adeo incertæ, post mortem, subditur omnis.
f Et tamen, hæc pauci, cordi tam serio sumunt,
g Vivere secure pergunt, quasi fabula mors sit,
h Præmia nulla Bonis manent, nec pœna malignis:
i Haud

(a) *Psal.* 106. *Eccl.* 14. *Rom.* 5. (b) *Psal.* 87. (c) *Iob* 17 *Eccl.* 10. (d) *Luc.* 16. (e) *Matth.* 25. (f) *Deutr.* 32. (g) *Sap.* 2. (h) *Matth* 25.

i Haud secus ac Brutum, rationis lumine captum,
k Mancipium ventris, solum præsentia quærens:
l In vitium præceps, ut equus laxatus habenis,
Aut Lapis ex alto demissus, ad infima tendit
m O nimium miser, heu! quæ te dementia capit?
Nobilitas Animæ, à te nobiliora requirit,
In tenebris palpas, Sathanæ deluderis astu,
Degener heus animo, majori fine creatus,
n Filius æterni Regni signatus, & Hæres
o Os sublime datum, Cœlorum ut sidera spectes,
Demissique pedes, terræ ut vestigia figant
p Nonne docent, rectos ad Cœlum tollere vultus?
q Et cunctas illuc, mentis convertere curas?
Aut viles terræ pedibus calcare cloacas?
Hæc natura monet, primæva creatio mõstrat

§. 3.

(i) *Psal.* 48. *Iudæ* 1. 1. *Corinth.* 12. (k) *Phil.* 3. *Titi* 1, *Corinth.* 6. (l) *Gen* 6. (m) *Psal.* 4. (n) *Ephes.* 2. & 4. *Tob.* 8. (o) *Psal.* 24. (p) *Psal.* 122. (q) *Coloss.* 3.

§. III.

Pœnas Inferni ante oculos ponit.

Pluet super Peccatores laqueos, ignis & sulphur, & Spiritus Procellarum, pars calicis eorum. *Psal.* 10. *v.* 7.

Et aperuit puteum. Abyssi, & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol, & aër de fumo putei. *Apoc.* 9. *v.* 3.

(a) Num te percellit Divini Numinis Ira?
(b) Num Mors (c) Judicium (d) Non ardens Flamma Gehennæ;
(e) Vermis edax? (f) Tortorque furens?
(g) Tenebræque perennes?
(h) Serpentes rabidi? (i) Crudelia monstra Ferarum?
(k) Terribiles vultus, spirantes naribus ignes?
(l) Carbones? crates (m) Succensiq; igne lebetes.

(n) Non

(a) *Rom.* 2 & 3. *Luca.* 3. *Apoc.* 6. (b) *psal.* 54. & 144. (c) *Mal.* 4. (d) *psal.* 10. *Math.* 11. *Luca.* 16. (e) *Isaia.* 66. (f) *Math.* 18. (g) *Math.* 25. (h) *Sap.* 9 & 20. (i) *Sap.* 17. *Apoc.* 9. (k) *Job.* 41. (l) *psal.* 139. (m) *Luca* 16.

(*n*) Non Horror? Fœtor? (*o*) Glacies! Nisi? Grando? Procellæ?
(*p*) Immensum Frigus? (*q*) Fumus cum sulphure mixtus? *r* Perpetuus clamor? *s* Stridor? *t* Gemitusque? Dolorque?
Queis eheu pœnis, Peccans se subjicit omnis
u Ni modò pœniteat, commissaque crimina plangat,
x Et totum reddat quidquid possedit inique,
Hæ si non moveant cordis tua viscera pœnæ
In vitâ, morieus has claro lumine cernes.

n *Iob.* 10. o *Psal.* 148. p *Psal.* 147. q *Apoc.* 19. 20. *&* 21. r *Matth.* 8. *&* 13. s *Sap.* 5. t *Luca* 13. u *Luca* 3. x *Luca* 19.

§. IV.

Describit peccati turpitudinem, & vindictam.

De ore ejus lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ, de naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque ferventis, halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus progreditur. *Iob.* 41. *v.* 11. 12. *&* 13.

TAm fera, tam turpis, tam trux, crudelis, & atrox
a Peccati est facies, oculi ut conspecta per Horictum

a *Isa.* 13.

Horribilis visu, totum consumeret orbem.
b Diluvij hoc mo nstrum, mundum quod perdidit undis.
c Impuram Sodomam subvertit, & igne Gomorrham?
d Luciferum Sociosque mali sub tartara misit.
e Adamum pariter, dejecit sorte beatâ
f Ac toti mundo, præclusit limina Cœli,
Millia quid memorem, quæ absumpsit squallor eremi.
g Quid terrâ absorptos vivos Core, Dathan, Abiron?
h Ipsum cerno Dei Gnatum, descendere cœlo,
i Peccati ut proprio, mundaret sanguine sordes,
k Et virus mortis, victrici morte fugaret.
l Hinc fuge peccatum rabido cane pejus & angue:
m Hi corpus lacerant, illud deducit ad ignem

b *Gen.* 7. c *Gen.* 19. d *Isa.* 14 *Apoc* 12. e *Gen.* 3 f 1 *Corinth.* 11 g *fuerunt sexcenta millia virorum, educentium gladios, excepta parvulis & mulieribus Exo.* 12. *Qui omnes morti addicti sunt, excepto Iosue & Caleb Num.* 14. & 16 h *Numer.* 16 *Psal.* 105 i *Luca* 1. k *Ioann.* 19 l *Ecc.* 21 m *Luca* 22.

a in quo nulla quies, miseris spes nulla salutis.

§. 5.

Reprehendit prudentiam carnis.

Filii hujus sæculi prudentiores Filiis lucis in generatione sua sunt. *Luc.* 16. *v.* 8.

LYnceus atque sagax, in Mundi es rebus agendis.

b Prudenterque geris, quod sæcli postulat usus,

Nil transire sinis, tibi quod prodesse putabis.

Omnia scrutaris, nulla intentata relinquis,

Ut loculos repleas, habeas vel commoda rerum.

c Sed stupidus, simplex, ac talpâ cæcior ipsâ.

d Quando animæ curanda salus, manfura per ævum

Sic miserum fallit, nimia hæc prudentia carnis,

e Quam fugit, ut pestem, Sapientia Cœlica Christi,

Quæ sola est melior, quam tota scientia Mundi.

§. 6.

a *Matth.* 25. b *Lucæ* 16. c *Matt.* 24. d *Rom.* 8. e *Matth.* 6.

§. 6.

Detegit fraudes, & laqueos Diaboli.

Cogitaverunt supplantare gressus meos, absconderunt superbi laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum, juxta iter, scandalum posuerunt mihi. *Ps.* 139. v. 6.

a DEciperis misere, versuti Dæmonis arte,
b Qui calice aurato, tibi fel pro melle propinat,
c Quod postquam biberis, ructus causabit acerbos
d Et fellis gustus, pleno tunc ore redibit,
Totumque inficiet mordaci felle palatum,
Tunc sero sapies, cum nil prodesse valebit,
Si modo non videas, quod amara bibentibus illam,
e Potio sit, stygius, quam hoc miscet aromate Caupo.
f Sœpius occulto, mordet sub gramine, serpens,
g Et vulnus lethale capis, dum gaudia quæris,
h Sic sub deliciis, latitant luctusque dolorque,

a *Gen.* 3. b *Apoc.* 17, c *Deuteron.* 32, d *Prover.* 23. e *Isa.* 24. f *Eccle.* 20. g *Iob.* 14. h *Proverb.* 14.

Quos, astu novit Dæmon, celare sagaci,
Ne pateant oculis, quæ sunt abscõsa veneno,
Non dormit, vafer hic unquam, requiemve capessit,
a Sed vigil, ut rugiens Leo circuit, undique quærens,
Crudeli captam rictu, quam devoret escam,
Utque, sagax sylvis, venator retia tendit,
Et pedicas, avibus disponit, callidus auceps,
Fallacique cibo volucres, cantuque doloso,
Allicit in casses; sic hic venator Averni,
b Omni pene loco, laqueos & retia ponit,
Ac struit insidias, aditusque præoccupat omnes,
c Vix queat ut quisquam sapiens satis esse vel insons,
Qui tuto evadat, nec vi, vel fraude latente,
Illius in casses, & retia laxa trahatur:
Hinc sæpe extinctos, sufflando resuscitat ignes,
d Induit ignotos habitus, variatque colorem,
Nunc ovis assumit formam, sævi inde leonis,
Tristia nunc simulat, nunc gaudia inania fingit,

I Nunc

a 1. *Pet.* 5. b *Psal.* 63. 90. 118. *Eccl.* 9. c 8. *Athanas. in vita S. Antonii.* d *Iob.* 41. 2. *Corinth.* 11.

Nunc nigrior corvo, Angelicâ mox luce refulget,
Attenuat culpam, vitia & turpissima celat,
[a] Suggerit, effugia, errores quibus arte tegantur,
Ingerit invidias, rixarum semina spargit,
[b] Proque suo libitu, turpes accendit amores,
Hos timidos nimium, securos efficit illos,
[c] Utque animam perdat, captorum corpora abundè.
Pascit deliciis, vitiis alimenta ministrans.
Nec modo, sic parvas volucres, pavidasque columbas,
Verum etiam grandes, & ad æthera sæpe volantes,
[d] Illaqueat pedicis aquilas, fortesque leones,
[e] Dum recti, ac æqui specie, proponit iniqũ,
Subque colore boni, mala pessima quæque recondit,
Non secus, ac anguis, tectâ qui prosilit herbâ,
Ore canit, caudâque ferit, funditque, venenũ,
Moreque Sirenum, seducit carmine blando;
Ac velut, obmutit, jam prædâ, fistula captâ,
Sic simul ac stygio, est innexus homũcio reti,
Illecebræ cessant, irritamenta malorum.

a *Genes.* 3 1. *Reg.* 18 b *Daniel* 13 2. *Reg.* 13. c *Lucæ* 16. d *S. Augustinus, Soliloq. cap.* 29. e *Gen.* 3.

a Et rigidis, vinctus manibus, pedibusque catenis,
Frœno ori incerto trahitur, quocunque libido
Effera, crudelis vel jusserit ira Tyranni:
Dæmonis astuti, Miser heu, sic falleris astu,
Quem tibi detexi, ne te fallacia lædat.

§. 7.

Suadet fugam carnalium voluptatum, ac earum pericula, & infelicem finem describit, ac fraudes Diaboli ulterius detegit, uti & pœnas, quas posthac infliget.

Stuppa collecta, Synagoga peccantium, & consummatio eorum, flamma, ignis. Via peccantium, complanata lapidibus, & in fine illorum, inferi, & tenebræ, & pœnæ. *Eccle.21 v.10 & 11.*

b SPerne voluptates, nocet empta dolore voluptas,
c Quæ brevis est, animæque infligit vulnera mortis,
d Et precio caro, hæc fallacia gaudia vendit,
e Quæ fugiunt, veluti glacies, cum solvitur igne,

a Finem-

a 1. *Corinth.*12. *Isa* 51 b *Gen.*3. *Proverb.*14
c *Sapi.*5. *Isa.*24. d *Gen.*25. e 2. *Reg.*11. &

a Finemque accipiunt, cum vix cœpisse videntur:
b Gaudia, principiũ nostri sunt sæpè doloris,
c Qui manet, illa abeunt, & pœnæ examina linquunt:
d Gaudia vera, Deus Cælo mansura reservat,
e Gaudia sed mundi, pereunt quasi fumus & umbra?
f Hinc Deus illa vetat, duris qui potat Amicos,
g Ut non decipiat, carnis malesuada volũtas,
h Exitiosa nimis, quamvis appareat æqua.
i Quando, malos cernis, committere pessima quævis,
k Et juxta votum, contingere prospera mundi,
l Anne putas, simili hos cum Justis sorte beandos?
m Nequaquam! via Cœlorum, magis aspera poscit;
n Hostibus hæc multis, & acutis obsita spinis,
o Hanc dolor & gemitus, labor, & dura omnia cingunt;

a *Ibid* b *Dan* 5 *Esther*: 7 c *Gen*. 3. d *Matth*. 24. e *Lucæ* 16. *Sap*. 5, *Oseæ* 2. f *Act* 9. *Ioan*. 12. g *Eccl*, 18 h *Roma* 12. i *Ps*. 13. *Sap* 2. k *Psal*. 36. & 142. l *Ierem*. 12. m *Matt*. 7. & 13. n *Ib*. *cap*. 11. o *Actor*, 14. *Psalm*. 124.

a Inferni via lata, rosis est undique vernans,
b Plenaque lætitiâ, quod triste est, exulat inde
c Hic suaves cantus resonant, & musica læta,
d Sola voluptatum, nulla hic est cura salutis,
e Corporis atque animæ, veluti foret exitus idem;
f Sed finis tenebræ, mors, infernus, dolor omnis,
g Affligens ignis, vox & blasphema perennis:
h Tali fine, Mali claudunt, extrema viarum,
Nec poterunt regredi, quamvis huc vota referrent;
Hinc melius sape, declinando pericula tanta,
Et fuge delicias, abscondita prospice tela,
Quæ si declines, nequeunt prævisa ferire:
Hæc si falsa putes, finis vera esse docebit,
Et laqueos cernes, hostili fraude paratos,
Peccatum fingens, dulcis nunc esse saporis,
Insipidum nimis, æternã pœnamque merens,
Spem veniæ tollens, vitæ dũ terminus instat,
i Tẽpore, quo justus, pulsabit ad ostia Iudex,
k Morsque aderit, quę lapsa sibi fatalia poscet,
l Non horæ unius, tempus, spatium ve datura,
Ut desperanti, nullus succurrere possit:

Tunc

a *Matth.* 11. *Sap.* 1. b *Ibid.* & *Eccles.* 11. c *Iob.* 21. d *Sap.* 2. e *Ibid.* f *Eccle.* 21. & *Matth.* 3. 5 & 7. h *Apoc.* 14. i *Matth.* 15. k 2. *Macha.* 9. l *Luc.* 12.

a Tunc datus in prædam Sathanæ, nil proderit unquam,
b Quod serò sapias, veniæ nã tempus abivit,
c Ianua perpetuæ; & spes est præcluſa ſalutis:
d Mox venient, ignem ſpirantes ore, Tyranni,
e Ut rapiant, lacerent, comburant, ſulphure potent,
Illudant, jugulent, dira ſartagine frigant,
Affigant verubus, verſentque trementia membra,
Fercula Convivis, ne deſint molliter aſſa,
Et fugere ut nequeant, obſcuro carcere claudant,
Crudeli que modo, reddant pro crimine pœnas,
Quas, offẽſa Dei meruit, quę lęſa frequẽter:
f Maxima Divini at pœna eſt, privatio vultus,
Qui ucũda nimis, præbet ſpectacula Sanctis;
Duraque Damnatis, cum vox: *Diſcedite in Ignem*
Aures percellit, tonitru quaſi fulmine mixtũ,
Affligetque magis, quàm tota ruina malorũ:
Deliciis brevibus, ſunt hæc tormenta parata.
g Quæ dum fine carent, ſemper rediviva redibunt.

h Hinc

a *Luc.* 16. *Matth.* 22. b *Sapi.* 5. *Matth.* 25. c *Pſal.* 2. d *Apoc.* 14 & 19 e *Iſa.* 51. f *S. Thomas* 1. 2. *quæſt* 88. *art.* 5. *S. Chryſoſt. ſuper Matth.* g *Iſa.* 66. *Apoc.* 19.

a Hinc emunda oculos, obscuras detrahe squamas,
b Lumine purgato, impendentia damna notabis,
c Stultitiamque tuam, & tenebras miraberis ipse:
Has ut devites, præsens cautela docebit.

§. 8

Describit vitæ humanæ brevitatem & inconstantiam.

Quæ enim est vita vestra? vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. *Iac. 4 v. 15.*

PRæsens vita brevis, fluido similisque vapori,
d Et folio ventis rapto, plumæque fugaci,
e Ut flos egreditur, squalletque à poplite pressus,
f Et velut ablatis cum nubibus, aufugit umbra,
Sic pertransit homo, nec eodem permanet unquam
In cursu, qui hodie est sanus, cras forsitan æger,
g Fatali lecto decumbet, qui modo fortis,

Aut

a *Psal.* 12 & 118. *Actor* 9. b 4. *Reg.* 6 & 21. *Reg* 11. c *Sapi.* 2. d *Iob.* 13. e *Idem* 14. f *Ibidem*, g 2. *Mach* 9. *Actor.* 4.

Aut præit, aut sequitur feretrum, eras forsan eodem,
Dum minimè sperat, tumulandus, & ipse feretur,
[a] Aut hoc momento, si sit Divina voluntas:
[b] Omnes fata manent, datur hinc exceptio nulla,
[c] Quando statuta semel, defluxit clepsydra vitæ,
[d] Cujus nulla quies, nam semper currit arena,
Donec eam sistat, cum vult, Deus, Arbiter orbis.
Serius, aut citius, metam properamus ad unam,
Quæ tamen, æqualis minime post fata, cuique:
Eventum finis, Cœlum infernusque docebunt.

§. 9.

Consulit Mortis meditationem.

Statutum est Hominibus semel mori, & post hoc Judicium. *Hebr* 9. v 27.

[a] MOrs animo sit fixa tuo, nec corde recedat
Omnibus hæc vivis subeunda est, tempore certo

[a] *Luc.* 11. & 16. [b] *Psal.* 13 *Hebr.* 9. [c] *Isa* 38. [d] *Daniel* 4. [a] 1. *Corinth.* 16. *Eccli.* 7.

a Ad *Mortem* properas, quoties vestigia figis,
b Iudiciumque Dei, citius tua vita subibit,
Horarum quævis, quam per momenta, requiret:
Omnibus exspectat, nos *Mors*, horisque locisque,
Omnibus, intento jaculo, minitatur & arcu;
c Omnibus ergo locis, *Mortem* noctuque diuque
d Exspecta, vigila, cunctasque paratus in horas
Solvere, quod debes, Morti, Mortisque supremus
Quàm poscet Dominus, rationem reddere vitæ;
Hęc, bene si mandes animo, peccata cavebis,
Plurima quæ faciunt, quibus est oblivio *Mortis*.

§. 10.

Demonstrat Dei præsentiam ubique.

Oculi Domini, multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias Hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes, in abscónditas partes. *Eccle* 23. *v.* 28.

OMni ex parte Deus, cunctorum respicit actus, *f* Vel

a 2. *Reg.* 14. b *Hebr.* 9. c *Matth.* 25. d *Luca* 11. *Matth.* 24.

a Vel tenebris tectos, vel claro lumine factos,
b In vita patiens, post mortem Iustus in omnes,
c Non parcens sceptro, Titulis, seu Fascibus ullis,
Sit Princeps, Pauper, Rex, Magnus sive pusillus,
d Omnibus est æquus, magis est sed durus in illos.
Qui genio indulgent, & amant mala gaudia mundi,
e Ac dapibus, dulcique mero sua corpora pascunt,
f Percutiunt citharam, gaudent modulamine cantus,
Tripudiant, ludunt, & cuncta libidine complent,
In lucem, tenebras vertunt, convivia lauta
Instituunt, semperque viget, quæsita voluptas
Hanc animo laudant, votis & mente reposcunt,
Numinis oblitī, faciunt extrema malorum:
g Sed quis finis erit? Nunquid conclusio Cœlum?

a *Psal.* 93. b *Rom.* 2. *Isa.* 65. c *Exo.* 34. *Psalm.* 10. d *Roman.* 2, 1. *Apoc.* 18. e *Sap.* 2. & 5. f *Iob.* 21. g *Eccle.* 21.

Temporis extremi, dabit hoc luctamen agonis :

a Nemo Deum fallet, nemo precio aut prece flectet

A vero justoque, loco nam respicit omni,

b Pravos atque Probos Dominus, qui cuncta creavit

Cuncta notat, cunctos sapiēti lege gubernat.

c Væ, qui dixerunt, nunquam Deus ista videbit ;

O stulti in populo, sapite, & cognoscite tandem,

Qui dedit Evigenis visum, plantavit & aurem,

d Visu non cernet ? Non audiet aure loquentem ?

Corripiens gentes ? Hominem faciensque scientem?

Non contradicet ? Non arguet impiè agentem ?

e Nec sensus animi, Dominus cognoscet inanes ?

Erratis cœci ! nam lux altissima Cœli,

f Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes

Intrat, & abstrusos explorat mente recessus.

§. 10.

a *Galat.* 6. b *Eccle.* 23. c *Psal* 93. d *Ibid.* e *Ps.* 95. f *Eccle.* 23.

§. 11.

Aperit Hypocrisis vitium, ejusque pœnam.

Quoniam Deus dissipavit ossa Eorum, qui Hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. *Psal* 52. *v* 6.

[a] NUnc Oculos Hominum fallis; dum Justus haberis,
[b] Fraudibus & vitiis plenus, potiusque sepulchro
[c] Albato similis, quod fœdis ossibus horret:
Vivi nomen habes, Animæ sed morte peremptus,
Ad peritura Miser, pravis converteris actis;
[d] Verum extrema dies, nulli quæ parcet iniquo
[e] Te reddet notum, commissaque crimina pandet,
[f] Qui tunc confusus, Domino sic spretus ab ipso,
A mundo illusus stabis, crudele tremendi
Iudicis exspectans decreti fulmen ab ore,
[g] Proque operis ficti, capies mercede, gehennam:
Tunc poterit, pietas nihil hæc simulata, juvare,
Cum Deus, externos Hominum non æstimet actus, §. 12.

a *Matth.* 23. b *Apoca.* 3. c *Matth.* 23. d 1. *Corinth* 4. e 2. *Corinth.* 5. f *Psal.* 51. & 52. g *Psal.* 89.

a Si non sincero, procedant cordis amore:
b Internos quærit, veræ Pietatis Amator:
c Hauris aquam cribro, quoties intentio vergit,
Ut laudem capias, externa huc facta reflectens,
d Affectus compesce malos, nec scandala paruis
e Præbens, ne peccent simili pietatis abusu.
Actibus externis, fuerit si consona vita,
Percipiet meriti Pietas sincera Coronam.

§. 12.

Explicat severitatem extremi Iudicii, & finalis Sententiæ. ITE, VENITE.

Ecce dies veniet, succensa quasi Caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes iniquitatem, stipula, & inflammabit eos adveniens dies, dicit Dominus, & non relinquet eis radicem, neque germen, *Malach.* 4, vi.

f UT Leo tunc rugiet, qui nunc est mitior Agno
g Condignasque dabit, quovis pro crimine pœnas,

a Dicit. *Corinth.* 5. *Philipp.* 1. *Matt.* 5. *b* *Luc.* 12. & 18. *c* *Gen.* 4. *d* *Matt.* 18. *e* *Amos.* 3. *f* *Apoc.* 6. *g* *Isa.* 3.

a Dicere lingua nequit, tangent quæ fulmina fontes,
b Cum tuba terribili clangore sonabit ubique
c SURGITE, quos terræ, Mors olim condidit antris
d SURGITE, pro danda, cuncti ratione VENITE
Quid, cum terribilis vox, ITE tonabit in aures?
e ITE in perpetuos, inferni carceris ignes.
f Post quam prolatam, veniæ spes tollitur omnis,
g Et tenebrosa, malos subito sorbebit abyssus;
h Hinc vitam serva puram, & sine labe malorum,
i Et vigilans esto, ut prævertas fulmina tanta.
k Quidquid agis, prudenter agas, & respice finem,
l Qui dabit æternam vitam, pœnasve perennes,
Nam quo cæsa loco cadet Arbor, ibi usque manebit. In-

a *Matth* 25. b *Matth.* 24. c 1. *Corinth* 14. d 15. *c.* 2. *Tessalon.* 4. e *Matth.* 25. f *Isa.* 5. g *Psal* 4: h *Matth.* 24. i *Eccl.* 36. k *Matth.* 10. l *Eccles.* 11.

Inque alias partes, poterit se flectere nunquam,
ITE, sonum durum, pavido si corde timebis,
In vita suavem poteris sperare VENITE,
Per te nunc stat homo, maneat sententia qualis
a Lætam, credo, cupis, concluſam voce, VENITE,
Percipere hanc poteris, fueris si criminis expers,
b Ante Dei positus plenus Virtute Tribunal
Ex solis verbis his ITE, VENITE duobus
Æternum pendet, cuncto quod fine carebit;
c Pecati merces dura est, vox ITE tremenda,
Quæ sic, damnaris, penetrabit viscera cordis,
d Ut stantes muti, cogantur cuncta fateri,
Virtutis meritum, vox est jucunda VENITE,
e Innocuas hac, Pastor Oves ad Regna vocabit:
f Pascat ut in pratis, suavi viridantibus esca,
Ac, ad dulcisonos fontes, deducat aquarum:
Astolidos Hircos, orco vox ITE remittet,
Fœtor ut æternus, Peccati monstret odorem
Sœpius hæc animo in vita revoluta sagaci,
Addent Virtuti calcar, sanctumque timorem,

Quo

a *Matth.* 24. & 25. b *Titi* 1. 2. *Petri* 3 c *Roma.* 5.
d *Matth.* 22. e *Matth.* 25. f *Ibid.* g *Ioh.* 2.

Quo perfusus homo, peccati vincula rumpet,
Et vivendo bene; hæc evadet fulmina vocis.

§. 13.

Purgatorii Locum & pœnas describit, & modum eas evadendi docet.

Quis poterit habitare de vobis, cum igne devorante? *Isa 33 Ver. 14*
Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per Ignem. *1. Cor. 3. v 15.*

IGNIS PURGANTIS pœnas, vehementer acerbas.

Expendens, paveo, scribendo penna rigescit,
Cum timor illarum, paucos ad seria ducat,
Quas, licet exiguas, putet ignorantia vulgi,
Despiciantque alii, veluti deliria vana;
Falluntur graviter, contra est, Doctrina recepta,
a Scripturæ, *b* ac Fidei, *c* Patrumque & *d* Conciliorum, Quam

a *2. Mach. 12. Matth. 12. 1 Cor. 3.* b *S. Thom. dist. 21. q. 1. art. 1. Concil. Carthag. 4. c. 15.* c *S. Aug. lib. 21. de civit. Dei cap. 16. & 24. idem homil. 16. & lib. 2 In Gen. 6. & in psal. 37. S. Hieron. in Isaia in fine S. Gregor. 4 Dialog cap. 39. Ansel. in 1 Cor. 3.* d *Conc. Lateran. 3 Cap. 66. Florent. sess. ult. Trident. sess. 25.*

Quam tenuêre omnes, Cæli qui sede recepti,
Cum vix sit Justus, macula qui mundus ab omni est,
Et tamen haud meritus, semper cruciêtur ut Igne,
Sed tantum, ut maculas leviores, pœna repurget;
[a] Hinc medium esse locum, Rationis lumine constat;
Viscеribus terræ est purgans hic additus Ignis
[b] Proximus Inferno, paulo at sublimior illo,
[c] A quo, non differt, pœnâ flammâque voraci,
Hoc tolerabilior, quod nõ comburat in æva;
Sed spes sit finis, pauco vel tempore longo,
Cum pœnam, culpæ PURGANS hic IGNIS, adæquet:
Justitiâ cogente Deï, has immittere pœnas,
Ut maculas Animæ tergant, quas vita reliquit,
[i] Mundities Cœli, maculas sordesque repellit,
Nec patitur spumam, immundum nec suscipit ullum: O For-

a *Bellarm. lib 1. de Purgatorio cap. 11.*
b *Act. 2. S. Aug epist 99 S. Thom. in 4. dist. 45 art. 2.* c *S. Thom. in 4. dist. 21 q. 1. art. 1.*
d *S. Thom. eodem loco Soto in 4. dist. 45 q. 1. art. 2.* e *Isa. 36. Apoc. 21. Ephes. 5. Malach. 3.*

O Fornax succensa nimis, fervensque calore,
Discrutians Animas, diris cruciatibus omnes,
In quas exerces, Divini Numinis iram.
Nunquid erit Finis, pœnæ cruciantis amarę?
Finis erit, culpam postquam mundaverit
IGNIS,
Quando Animæ mundæ, solis splendore micabunt:
Divinam Faciem, Mundus nisi, nemo videbit.
a Utrude purgatur, fornacis in Ignibus Aurum,
Sic maculas Animæ, aufert PURGATORIUS
IGNIS,
b Ut mundis oculis. Cœlorum gaudia spectet:
Est adeo vehemens, hic PURGATORIUS IGNIS,
c Noster ut in Mundo, videatur rore madere,
Pœnarum ac umbræ, nostra hic tormenta putentur,

Qua-

a *Eccli. 27. Malach. 3. Tob. 12.* b *Matth. 5.* c *S. Aug. Serm. de Sanctis, 41 & in lib. de pœnitentia cap 18 & exposi. in Psal. 37. ac Canone nullus de pœnitent dist 9. S. Gregor. in exposi. 3. Psal pœnit. S Thom. in 4. dist 30 q 1. art. 2. cum ibi sit simul pœna sensus & damni. S. Beda in 3. Psal. pœnitent. S. Ansel. in 1. Corinth. 3.*

Qualia crudeles, nunquam subiere Latrones,
IGNIS PURGANTIS, nimio assimulata calori:

a Ergo operare Bonum, *b* Veniæ dum janua aperta est,
c Bellum dic vitiis, *d* Lachrimarum flumina funde,
e Castiga corpus *f* Virtutum sis studiosus,
g Affectus moderare malos, *h* peccare caveto,
i Sit vigilans semper, puri custodia cordis:
k Si quid peccasti, subito sit pœna parata
l Debita quæ culpis, unam nec differ in horam,
m Judiciumque para proprium, *n* Præverte flagella,
Quæ subeunda forent, PURGANTIS in æstibus IGNIS.
o Est Præsens tempus Meriti, rigidumque Futurum,

Quo

a *Psal.* 36. 2. *Petri.* 1, 2 *Cor.* 2. 2. *Tim* 2.
b *Matth* 25. c *Psal.* 143. & 1. *Cor.* 9. *Ioh.* 7.
d *Psal.* 6. *Ierem* 9 13. & 14. *Thren* 2. e 1. *Cor.* 9. *Habr.* 12. f *Eccli.* 17 *Colossen.* 2. *Petri* 1.
g *Gen.* 4. *Gal* 5. h *Eccli.* 21. i *Matth.* 24. 1. *Petri* 5. k *Psal.* 6. & 37 & 76. l *Eccli.* 5. *Matth.* 25. m *Eccli.* 18. n *Psal.* 37. o 2. *Cor.* 2. *Matth.* 25.

Quo Meritum ceſſat, a meſſis finitur & æſtas,
b Reddere quo debes, minimum quemcunque quadrantem,
c Gratia ceſſabit, ſuccedent tempora pœnæ:
d Exiguis rebus, doctus bona lucra parare,
Cenſetur ſapiens ſimili tu fœnore, magnum
Fructum Animæ poteris, paucos ſubeundo labores
e Lucrari, faciendo bonum, dum corpore vivis,
f Quo bene prævenias, ſæcli tormenta futuri,
g Horaque plus redimet, quam poſt Mortem integer annus:
Cautior hinc eſto, culparum dilue pœnas,
IGNIS PURGANTIS, Carnis confige timore,
Luceat ante oculos, maneatque in corde recluſus.

b Sis

a *Iſa.* 18. *Prov.* 6. b *Matth.* 5 c *Matth.* 22. & 25. d *Matth* 13. e *Eccleſ.* 9. *Philip.* 2. f *Lucæ* 3 g *S. Thom. ſupplem. q.* 69. *art.* 7 *quia Homo dum vivit, eſt in ſtatu merendi. ſed non poſt mortem.* g *Pſal.* 118.

a Sis quoque compatiens Miseris, quos lenis adurit
Hic Purgans, effunde Preces, succurre saluti,
Qua tunc securi, & Cœlorum Gaudia adepti,
b Pro te solliciti, simili pietate iuvabunt,
Liber ut à pœnis, lucis candore fruaris
Æternæ, quæ nocte caret, sine fine serenat,
Et citius capias, horum consortia sancta,
c Quorum semper Amor crescit, minimeque tepescit.

§. 14. Ad-

a S. *Dionysius in Ecclesiastica hierarchia cap. 7. art 3. S. Chrysost. homil 69. ad populum & homil. 41. in primam ad Corinth. Beda lib. 5. historia. cap 13. S. Ambros. lib. 2. epist 18 ad Faustinum. Item in orationibus Theodosii, Valentiniani & Satyri, S. Hieron. in epist. ad Pammachium, S. Aug. de cura pro mortuis cap. 2. & 4. Enchirid. cap. 119, & lib. 9. confess. cap. 13. Item de hæresibus cap. 53. S. Gregor. lib. 4. dial. cap 55. his adde 2. Machab. 12. b 2. Machab. 15. Apoc. 5. 1. 2 Petri 2 S. August lib. 22. de Civit. Dei cap 8. Theodoretus in lib. de Martyribus. S Gregor lib 4. Dialog cap. 40. S. Basilius orat. in 40. Martyres. S. Cyprianus lib. 1. Epist. 1. S. August lib. 7. de Baptismo contra Donatistas, cap. 1. Matth. 5.*

§. 14.

Adversa mundi æquo animo ferenda docet, eorumque fructus & merita deprædicat. Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. *Corinth.* 4. *v.* 7.

a ADversis ne cede malis, sed fortiter obsta,
b Perfer, & obdura, labor hic, tibi proderit olim.
c Succus amarus, opem consuevit ferre saluti:
d Fœlices verè, qui ferre incommoda vitæ,
e Et portare jugum, vitâ didicêre Magistrâ.
f Si propter corpus, ferrum patiaris, & ignē.
g Dignius, ut salves Animam, tolerare labores,
h Est *Adversorum*, ad Cælum perpessio scala
i His Christus Sathanam, ac portas confregit Averni,
k Hæc sunt dona Dei, certissima signa salutis,

a *Iob.* 2. b *Iac.* 5. c *Actor.* 5. d *Matth.* 11. e *Ephes.* 5. f *Apoc.* 14. g *Gen.* 27. *Matth.* 5. h *Luca* 11. i *Psal.* 23. *Actor.* 9. k *Iob.* 2. *Iaco* 1.

a Arma, quibus caro, quotidianus vincitur hostis,
b Deliciis Cælum claudens, quod tristia pandunt.
c His, omnes Sancti, meruerunt præmia Cæli:
d Scilicet ut fulvum purgatur in ignibus aurum,
e Sic Deus, *Adversis* justos exercet amando,
f Hinc dum contingunt, animum deponere noli;
g Sed potius gaude, quod te dignetur honore
h Præ reliquis tanto, quem solis præstat Amicis,
i Quos vult æterna Cœli Mercede beare,
Ut læti, referant frugum de messe manipulos,
Hac spe munitus, quævis *contraria* vinces,

§. 15.

a *Psal.* 17. *Luc.* 16 b *Psal.* 65 *Hebr.* 11. c *Eccl.* 26 d *Hebr.* 11. e *Psal.* 16 & 22. f *Isa.* 9. *Psal.* 89. g *Rom* 6. *Tob.* 12. h *Sap.* 3. & 5. 5. 12 *Isai* 9 i *Psal* 21.

§. 15.

Qualiter Homo se gerere debeat, dum in Mundo degit.

Cariſſimi, obſecro vos tanquam Advenas & Peregrinos, abſtinere vos, à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus Animam. 1, *Petri* 2. *v.* 11.

Non enim, hic habemus manentem civitatem; ſed futuram inquirimus. *Hebr.* 13. *v.* 14.

[a] UT Cervus ſitiens, feſtinus currit ad undas,

[b] Ad Patriumque ſolum, Peregrinus totus anhelat,

[c] Præfixumque ſcopum, curat finire viarum,

Otia non quærit, Requiē nec habere laborat,

Ut citius capiat, conſortia grata ſuorum:

[d] Sic quoque feſtina, ad Patriam tendendo ſupernam,

[e] Nullas necte moras, tempus breve, ſemita longa eſt,

[f] Donec ad optatam, perveneris ipſe quietem:

Dux erit ipſe viæ CHRISTUS, præcedet Euntem,

a *Pſal.* 41. b *Pſal.* 38 *Hebr.* 11. c 1. *Cor.* 9. 2. *Tim* 4. d *Pſal.* 118. *Hebr.* 4. e *Eccl.* 31. f *Apoc.* 6. & 14.

Devia prævertet, latitantes deteget, hostes,
Præsens semper erit, quamvis videatur abesse:
a Nec diffide Deo, *b* Patienter ferto Labores,
c Certus, quod curam pro te gerat ille Paternam,
d Et Gemitus *e* Lachrymasque tuas, cunctosque Dolores
f Audiat, aspiciat, notet, ut solatia præstet:
g Hinc in eum, cunctas Humanas projice curas,
h Ipsius Auxilium, sincero corde require:
i Non recreat tua Pœna Deum, *k* Patientia grata est,
l Hanc amat, ut dignam reddat mercede Coronam,
m Quam Nulli tribuit, nisi post certamen Agonis.

a Otia

a *Psal.* 124. & 40. *Dan.* 13. 1. *Ioan.* 2. *b* *Eccli.* 2. 1. *Petri.* 2. *Luca.* 21. *c* *Psal.* 26. *Matth.* 6. *d* *Psal.* 6. 26. & 101. *e* *Isa.* 25. *Ier.* 14. *Psal.* 6. & 21. *Apoc.* 7. & 21. *f* *Tob.* 12. *Apoc.* 2. *Psal.* 90. *g* *Psal.* 54 1 *Petri* 5. *Matth.* 6. *h* *Psal.* 69. & 120. & 119 *Hebr.* 4. 2. *Machab* 16. *i* *Sap.* 1. *Isa* 6. *Ezech.* 33. *k* 1. *Cor.* 2. *Iac.* 5 *Ephes.* 4. *Luca* 21. *l* 2. *Tim.* 4. *Hebr.* 12. *m* 2. *Tim.* 2.

a Otia, Delitiæ b Luxus, Fortunaque
c Mundi,
d Sunt Escæ Sathanæ, Syrenum carmina
blanda
e Fomenta Inferni, quêis pœna æterna paratur
f Hinc licet Exilium præsens sit vita molestum,
Sis, Patiens, Cœli sic Regna mereberis olim,
Quæ tibi præsentis vitæ tribulatio pandet.

§. 16.

Virtutem laudat, & per quæ acquiratur, explicat.

Benedictionem dabit Legislator, ibunt de Virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion, *Psalm.* 83. *v.* 8.

g NObilis est *Virtus*, figit super Æthera sedem,
Conculcat terrena pede, ad Cœlestia tendit
h Vivit in æternum, moritur post funera nunquam
Est Regina potens, cujus sunt præmia larga,
i Quæ non distribuit, nisi post fera prælia belli,

a *Prov.* 12. & 28 *Eccli.* 33. b *Exodi* 12. *Psal.* 143. *Luc.* 16. c *Psal.* 36. d *Eccli.* 21. *lib.* 21. e *Gen.* 47 *Psal.* 38. 1. *Paralip.* 29. 1. *Petri* 2. g *Rom.* 5. h *Iudith.* 11. i 1. *Corinth.* 2. *Timoth.* 4. *ibid.* 2.

Tunc accepta magis fiet victoria patta
a Nil est *Virtuti* durũ, quod non leve reddit,
Dum generosus adest animus qui mollia spernit,
Ut Rosa, pũctivis obcingitur undique spinis,
Virtutem sic dura fovent, & tristia firmant,
b Illa voluptates spernit, de vulnere gaudet,
c Ut medicina Animæ, præponit tristia lætis,
Semper in adversis, sibimet pulcherrima merces.

§. 17.

Iustitiam servandam præcipit, & ejus violationem prohibet.

Pro Justitia agonizare pro Anima tua, & usque ad mortem certa pro Justitia, & Deus expugnabit pro te, inimicos tuos. *Eccles.* 4. *v.* 33.

d PRotege *Iustitiã*, toto conamine cordis,
e Pro qua servanda propriam postponito vitam
f Est Virtus pergrata Deo, vicinaque Cœlo,
Jus cuicunque suum tribuit, dum *justa* requirit,
Quæ, coram toto, faciet clarescere mundo,
g Quando malis pœnas, & reddet præmia justis

Pro-

a *Roman* 5. b 2. *Corinth.* 12. c *ibid.* d *Eccles.* 4. e *Ibid.* f *Psal.* 84. g *Matth.* 25

Proterit injustos, summusque nocentibus hostis
h Et sine respectu, æquâ librat cuncta bilance;
Iustitiâ læsâ, turbat confusio Mundum,
Nullus & ordo manet, neve hospes ab hospite tutus,
Pro libituque, Bonis, Fur, Prædo, Latroque nocebit.

§. 18.

Personis miserabilibus & Pauperibus subveniendum docet, & merita Eleemosynarum explicat.

Fili Eleemosynam Pauperis ne defraudes, & oculos tuos, ne avertas à Paupere, *Eccles. 4. v. 1*

a AFflictis, ægris, miseris, plus esto patronus,
b Hi te defendent, cum mortis venerit hora:
c Pauperibus facilis, largam quoque porrige dextram,
d Thesarosque tuos Cœlo præmitte fugaces,
e Quos Fur non rapiet, nec bellum aut flamma vorabit,
f Sed certi remanent, totus licet arserit orbis:

h *Psal. 57.* a *Isa 1* b *Iob. 29* c *Iob 31. Eccl. 4.* d *Luc. 16.* e *Matth. 6.* f *Eccl. 29.*

a Gratior ut lux est præcedens, luce sequēte:
b Sic data, cum vivis, quam quæ sunt morte relicta,
c Tum veras acquiris opes, & geminamque coronam,
d Impones capiti, meriti fulgore coruscam:
Fœnore dum tanto edoctus, divendere merces:
e Hinc tua da, tua dum sunt, post mortem tua non sunt.

a *Isa* 58. b *Tobiæ* 4. c *Eccl.* 12. d *Matth.* 25. e *Eccl.* 7.

§. 19.

Reprehendit nimiam aliquorum solicitudinem, ut post Mortem amplas divitias Heredibus relinquant, & saniora suggerit consilia. Ac latius Eleemosynarum fructum ac virtutes demonstrat, & ad eas hortatur.

[illegible] infirmitas pessima, quam vidi sub sole, Divitiæ conservatæ in malum Domini sui, *Eccles. 5. v. 12.*

Nec tribuit ei Potestatem Deus, ut comedat ex eis, sed Homo extraneus vorabit eas. *Ib. cap 6. v. 12.*

Et relinquent alienis Divitias suas, & Sepulchra eorum, domus illorum, in æternum. *Psal. 48. v. 12.*

Beatus

Beatus qui intelligit super Egenum & Pauperem, in die mala liberabit eum Dominus *Psal.* 40. *v.* 1.

Dominus opem ferat illi, super lectum doloris ejus. *Ib. v.* 3.

PIscator veluti, pisces captare sub undis
Novit, & hinc hamos, fallaci contegit escâ,
Sic per Divitias, Dœmon scit, fallere multos,
Desudare docens, Patrimonia quærere larga,
Quæ Testamentis, Hæredibus aucta relinquant,
a Ut bene ditati, cunctis in rebus abundent,
b Lautius hinc vivant, & honorum culmina scandant:
Huc sua vota ferunt, cura huc extenditur omnis,
Omnia prudenter, tunc disposuisse putantes,
Immemores Animæ propriæ, vitæque futuræ,
Non secus ac Animæ, cum corpore Morte perirent:
Heu falluntur, docuit contraria Christus,
c Curam Animæ mandans, d non mollem corporis usum,

a *Psal.* 48 b *Psal.* 143. c *Sap.* 2. d *Matth.* 10. e *Matth.* 11.

a Scandala qui fieri prohibet, pœnisque coercet,
Quæ das Hæredi, Testator plurima, quando
b Divitiis is Morte tuâ, provisus opimis.
Nil Animam curans, cœlorum an sedere cepta,
Inferni, an pœnâ, Purganti aut Igne cremetur,
Sed solum quæret, Rebus gaudere relictis,
Et festinabit Corpus committere terræ,
Ac oculos claudet, Videat ne exangue cadaver,
Obstruet & nares, ne sit fœtore molestum,
Tristitiam finget, mox bacchanalia vivet,
Curam ventris aget, tempus per gaudia ducet,
c Consumetque brevi, longo congesta labore,
Et sudore tuo, grato nec corde reponet;
d Ex visu vix funus erit, quin immemor hujus,
Induet elatos, pullatâ veste, Cothurnos,
Nec semet capiet, rerum cum copia tanta,

a Hor-

a *Matth.* 18 *S. Hieron hom.* 3. *in Matth.*
b *Eccles.* 4. c *Eccles.* 6. d *Psal.* 30.

a Horrea dilatet, repleatque pecunia cistas,
His honor accedens, vulgo delatus ab omni,
Augebit fastum, meritum quem Jure putabit,
Unde alios spernet, novit quos forte minores,
Quamvis ante pares, majori aut stemmate natos,
Cum nihil asperius, quam humilis, si surgat in altum:
Sic nocumenta Animæ, Testator nescius infers,
Nec minus Hæredi, cui sic es causa ruinæ,
Infundens oleum flammæ, ut magis ardeat Ignis:
Hanc tua larga trahit, duplicem donatio culpam,
Dando quæ non sæpe tua, at corrasa rapaci
b Forte manu, quèis vix gaudebit tertius Hęres:
Nec solum externus, sed Filius ipse, frequenter,
Cum Patre sic agit; hinc Exemplum sumite Patres.
Ex his ecce vides, quam sit persuasio fallax,

a Psal. 143. b Iob, 27.

Serpentis veteris, cujus suggestio suadet,
Largus ut hæredi, sis illi, occasio lapsus,
a Et tibimet parcus, *b* Servus sis Divitiarum,
c Quæ nunquam satiant, sed semper plura requirunt,
d Donec mors tandem, cogat dimittere totum:
e Divitiis his, forte putas, acquirere laudem,
Post Mortem in Mundo, sed quid tibi proderit olim
Laus? Si forte Animas, Ignis torquebit utrasque,
Ob malè parta, tuam, Hæredis, dum gaudet iniquis,
Aut si parta bene, ob fomenta relicta malorum,
Quêis Ipsi dabitur, vitiorum occasio major.
Insciti â tantâ, miser obcæcate laborans,
Consilium melius, Christo suadente capesse:
f Sit tibi larga manus, quoties occurris Egenti,
Quærenti auxilium, quod Ei conferre teneris;

a Non

a *Eccles.* 4. & 6. b *Psal.* 75. & *Matth.* 6. c *Psal.* 33. *Eccles.* 5. d *Psal* 48. *Luca* 16. e *Psal.* 48. f *Eccles.* 4. & 7. *Parab.* 31. *Psal.* 40. *Tob.* 4. & 12. *Dan* 4. *Matth.* 25. *Luc.* 12.

a Non tibi sit curæ, quod plurima Morte relinquas,
Sæpius ingratis, memores minimèque futuris:
b Quod dare proponis, Vivens id confer Egenis,
De Dono sic certus eris, quod rite peractum,
c Et majora tibi, conquires vota Precantum,
d Inque statu, augebis meritum, donando merendi,
Dum propriis, Rerũ te privas usibus ipsum,
Quas poteras, lautis epulis consumere lætus,
Aut tractando alios, nomen conquirere largi,
Quo sic crescat Amor vulgi, respectus honorque,
Sed si forte times, ne fias indigus ipse,
Prudenter dispone tamen, quæ vita relinquet,
Ut tibi post Mortem, maneant solatia sancta:
Sæpe tamen multos, hæc cura superflua fallit,

a *Eccles. 6.* b *Matth. 19. Luca 12. hoc fecit S. Lucia & consuluit Matri sua. Et S. Antonius teste S. Athanasio, ac S. Paulus Eremita teste S. Hieronymo. S. Franciscus teste S. Bonaventura, omnes Apostoli & innumeri alii Sancti,* c *Tob. 4. Eccles. 17. & 29.* d *S. Thom. suppl. q. 69. a. 2.*

Solicitiéque nimis, potius censentur avari:
Quod vitium celare volunt, sub nomine recti,
Ne indigeant ipsi, & post Paupertate premantur,
Sed retinendi amor est, & solicitudo nociva,
Suggesta à Sathanâ, quasi sis Victurus in æva:
a Est invisa Deo, nimia hæc prudentia carnis,
b In quem deberet, rejici fiducia tota;
c Sæpius hinc nimias curas, abrumpit in horâ,
Dum rapit è Mundo, imprævisâ Morte Tenaces,
Cum penes illum, vitæ sit plena Potestas;
d Negligit haud Homines, volucres qui pascit in altis,
e Dat corvis escam, jumentis pabula præstat;
Si vero est Hæres, Vicino sanguine junctus,
Quem Probitas laudat, nimia aut constringit Egestas,
Filius aut sapiens, ad quem successio spectat,
Tunc non immemorem, esse sinit Discretio, Mater

a Matth 6 Rom. 8. b 1. Petri 5. Psal 54
c Luca 12. & 16. d Psal. 146. e Psal. eodem.

a Virtutum, quæ Justitiam commendat ubique,
b Hinc tibi, præ cunctis sit cura, evadere pœnas,
Alterius sæcli, certò quas quisque subibit,
c Purior è vivis, si non excesserit auro,
Sed quis purus erit? cunctâ quis labe carebit?
d Heu pauci, rari, sunt, qui sine crimine vivunt,
Unde, Deus medium suggessit, crimina purgans,
e Non sudore gravi constans, nec sanguine fuso,
Si de Mammonâ (dicit quo nomine Christus
f Divitias fueris turbæ, bene largus Egenæ,
Quæ immensum reddet fœnus, pro munere parvo,
g Deficiens nunquam, semper sed crescit in horas:
Ergo stultus eris, si tanta occasio lucri

a Præ-

a *Pater Ioannes à Iesu in praxi bene moriendi: quia testamenta debent esse pia, justa & perspicua,* b *Matth.* 6. & 10. & 16. *Marci* 8. *Ioan.* 12. c *Apoc.* 21. d *Iob.* 14. *Ioan.* 1. *cap.* 1. e *Matth.* 11, f *Luca* 16. g *Prov.* 28.

a Prætereat, quando pro obulo, integer aureus esset,
Proque luto Cœlum, pro terrâ gemma futura:
Quod si tale lucrum, Mundi fortuna faveret,
b Esses festinus, tanti te reddere lucri
Participem, sineres vacuam transire nec horam,
c Cur ergo differs, Animæ succurrere Egenti?
Quæ sitit auxilium, per res, quas Morte relinquis:
Hinc sapientis erit, res sic disponere Mundi
d In vivis, e ut sit primaria cura salutis,
Quæ curanda magis, Thesauris omnibus Orbis:
Nec concrede aliis, quæ disponenda, sedipse
Fac vivens, ut sint pia, justa, fidelia, vera.
Litibus aut rixis, mala ne fomenta relinquas,
Si Mors impediat, curæ committe Piorum,
Quorum nota Fides, Pietas, Virtusque probata;
Quam si non præstent, satis est tua prompta Voluntas, Gra-

a S. *Chrysologus in serm. de Jejunio & Eleemosyna, S. Chrysostomus super Matth. hom. 5. oper. perf. S. Ambros. in serm. S. Hieronym. in Epistolu* b *Matth.* 13. c *Psal.* 40. d *Isaiæ* 38. e *Matth.* 10.

Grata Deo potius, quam sit substantia Mundi.
Hæc faciens, magnum capies, in Morte levamen,
a Liber & à curis, in sanctâ Pace quiesces,
Optatumque lucrum, dispersa Pecunia reddet,
Consiliumque meum, dabit optima gaudia cordis,

§. 20.

Explicat fructus intentionis rectæ, & conformitatis humanæ voluntatis cum Divina.

Vivus est sermo Dei, & efficax, &c. & discretor cogitationum, & intentionum cordis. *Hebr. 4. v. 12.*
In capite Libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. *Psal. 39. v 9.*

ACcipe Consilium solatia magna daturum,
Quod bene servatum, menti conferre quietem;
Et meritum cumulare potest, si *intentio* recta,
b Sit defixa Deo, tua conformisque, *voluntas.*

a Di-

a *Psal. 4. Tob. 3.* b *Matth. 6.*

a Sit defixa Deo, tua conformisque, *voluntas*,
b Divinæ fuerit, quamvis contraria surgant,
c Exilium, *d* carcer, *e* rerum jactura tuarum
Injustæ lites, mors *f* ipsa, *g* calumnia falsa,
h Paupertas, *i* morbus, contemptus & omnia dura,
k Æquo si fuerint toleratæque pectore forti,
l Nulla tuam lædet, tunc perturbatio mentem,
m Sed majora dabunt, pacato gaudia cordi,
n Est animus talis, veluti mons firmaque rupes,
o Quæ nec fulminibus, nec tempestate movetur,
p Sed manet æqualis, quamvis hæc machina mundi
q Mota loco fuerit, supremaque mixta profundis:
r Est animæ lumen fulgens, *intentio* recta,
Reddit opus quodcunque, Deo acceptabile semper
s Obscurat tenebris, si recta *intentio* desit:
Hinc tibi si vires desint, præstare quod optas,
Si tamen intendis bona, crede, placere Tonanti

a *Matth.* 6 b *Actor.* 21. c 2. *Machab.* 3 d *Gen.* 39. e *Iob.* 1. f *Marci* 6. g *Daniel.* 13 h *Psal.* 71. i *Luca* 6. k 18: l *Rom.* 5 2. *Corinth.* 12. m *Psal* 124 n *Psal.* 17. o *Psal.* 45 p *Sapi.* 20. q *Matth.* 5. r *Matth.* 6. s *Luca* 18.

Vota tua, ac horum nunquam frustrabere fructu.

§. 21.

Duplicitatem cordis, & omnem fallaciam carpit.

Domine quis habitabit in Tabernaculo tuo &c. qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua: nec fecit Proximo suo malum, &c. *Psal.* 14. *v.* 1, 2. & 3.

a ABsint *duplicitas* animo, Mendacia
b lingua
c Non lædas ullum, quævis *d* Deceptio cessset:
e Quidquid agis, loqueris, sint hæc conformia menti,
f Est inimica Deo, *gemini fallacia* cordis,
g Callidus hanc docuit Serpens, seductor Adami,
h Quam Deus, innumeris castigat sæpe flagellis,
i Qui semper verax, semper veracia quærit,

§. 20.

a *Eccl.* 2, b *Proverb* 22. c *Luc.* 3. d *Proverb.* 11. e *Psal.* 14. f *Psal.* 49. g *Gen.* 3. h 5. *Regum* 2. i *Psal.* 88. & 118.

§. 22.

Cordis Contritionem, & Dei Timorem inculcat.

Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine Timore est, non poterit justificari. *Eccles. 1 v. 27.*

a COr gere contritum, à vitiis longeque remotum.

b Divini clavis illud confige timoris,
Peccati hic frænum est, stimulus virtutis acutus,

c Qui plures, animis fecit tabescere, sanctos,

d Peccati labes, quamvis vix tangeret ulla,
Nam velut indomitus, rupto fræno, atque capistro,
Spernit Equus Dominum, pedibusque recalcitrat, ipsis,

e Sic ruit in quævis, malesanus crimina præceps,

f Excutiendo Dei, sanctum de corde Timorem:

g Hic si deficiat, spes est vix ulla Salutis:

h Evasisse putasne mali quos conscia facti,

a Mens

a *Psal.* 50. b *Psal.* 118. c *Psal.* 33. d *Iob.* 31. *Habacuc* 3. *Psal.* 118. e *Ierem.* 8. f *Eccles.* & g *Eccl.* 1. h *Psal.* 6.

a Mens habet attonitos, & cæco verbere cædit,
b Occulto quatiente animum Tortore flagello?
Falleris & tandem, deceptio crassa patebit:
Est intra mentem, qui advertit ad omnia Testis,
Et nihil in vita, seu morte relinquit inultum,
e Multos, magna nimis fiducia sæpe fefellit,
d Dum minime timidi, quæ vis secura putabant,
e Qui tamen, ut tecto pisces capiuntur ab hamo,
f Dum minime sperant, subito rapiuntur ad orcum.

§. 23.

Vespertinum Conscientiæ Examen, & Angelicam tutelam invocandam monet.

Si dedero somnum oculis meis, & Palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis donec inveniam locum Domino, Tabernaculum Deo Jacob. *Psal.* 131. *v.* 4.

NE somnum capias, nisi singula facta dieï

a Scru-

a 1. *Machab.* 6. b 2. *Machab.* 9. c 4. *Reg.* 18. d *Luc.* 16. e *Eccl.* 9 f *Luc.* 12.

a Scrutatus fueris, sincero Examine mentis,
b Et si peccasti, veniam de crimine posce:
c Tutelæ Angelicæ, post te committe fideli,
Ne Mors, nocte tuam rapiat de corpore vitã,
Judiciumque Dei subeas, non rite paratus,
Comprimat ac Hostes, noctis phantasmata pellat
Tum poteris, placidæ componere membra quieti.

§. 24.

Quid mane surgenti faciendum, exponit.

Prævени in maturitate, & clamavi, quia in verba tua superspera vi, prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquiã tua. *Psal.* 118, *v.* 47.

d MAne vigil, tibi præ reliquis sit maxima cura,
Ut grates referas. *e* placide de nocte peracta,
Omnia quæque die occurrent, dispone gerenda,
Quæ fore grata Deo, atque Animæ prodesse putabis
Quem simul & *f* cordis votis exposcito summis,

Ut

a *Psal.* 76. b *Psal.* 50. & 37. c *Psal.* 40. *Exodi* 23. d *Proverb.* 8 *Psal.* 62. e *Psal.* 87. & 118. f *Psal.* 100. & 124.

Ut te defendat variis à fraudibus hostis,
[a] Ullius labis ne te contagio lædat:
Sic sine nube, dies transibit, luce serena,
[b] Duraque nec tristem reddent, nec prospera lætum.

§. 25.

Honorum & Divitiarum contemptum suadet, & pericula eorum memorat, Humilesque consolatur.

Horrende & cito apparebit vobis, quia judicium durissimum his, qui præsunt, fiet, exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. *Sap. 6. v. 6.*

[c] CArnis delicias, & mundi gaudia vita,
[d] Divitias laudes, vanos hominumque favores
Et quæ magna putat, qui horum possessus amore,
Cum noceant Animæ, carni quæ grata videntur,
Vernantesque Rosas, spinarum copia cingat,
[e] Majori fructu quæres mansura per ævum,
Nec

a *Psal.* 118 b *Psal.* 22. & 26. c *Matth.* 19. d *Psal.* 61. e *Matth.* 6.

Nec sapies altum, medio tutissimus ibis,
Inferiora minus, quam quæ sunt alta, nocebunt.
a Magni, magna luent, posthac tormenta dolorum,
Præ reliquis illi, quibus est concessa potestas
Ut præsint aliis, duro si more gubernent,
Imperioque gravi, afflictis cervicibus instent,
Aut onera imponant humeris, superantia vires,
b Dissimulentque mala, ut vincant zizania semen
Utile sicque premant, ut vix emergere possit:
Tunc vasto alterius vitii, se gurgite mergent.
Et peccata luent aliena, ut propria facta,
Cum lolium excrescens, nec publica scandala tollant:
Hos fluctus referet, mala conniventia Magnis,
Effugit hybernas demissa antenna procellas,
Magnaque plus parvis, perstringunt carbasa venti,

Non

a *Apoc.* 18. *Sapi.* 6. b *Decreti* 1. *parte distinct.* 83. *cap.* 3. *Error cui non resistitur, approbatur, & veritas cum minime defensatur, opprimitur, negligere cum possis, deturbare perversos, nihil aliud est quam fovere, ibid. cap. consentire, &c.*

Non adeo est ratio privatis danda severa,
Quam sit Divitibus, seu qui lætantur honore,
a Quæ reddenda Deo, juxta concessa talēta,
His vero major, quibus hic concredidit ampla:
b In Terra, Cœloque simul, vix gaudia carpes,
Hæc modo si quæris, veris privaberis olim,
c In Mundo, vix est ullus fœlicior, illo.
d Qui contentus, agit placidos, inglorius annos,
Inservitque Deo, tractat Cœlestia mente,
e Divitias aliis, curasque relinquit inanes
Quæ pacem cordis tollunt, animæque quietem,
f Instar spinarum pungunt, acuuntque dolorem,
Tristia cum turbent, faciunt & læta superbū,
Ut ferret, instabilis variati temporis usus:
g Impedit infirmum, grato ut requiescere somno,
Affligens, dolor, aut vertigo molesta cerebris
h Sic rerum cupidum, mala sollicitudo fatigat,
Æs habeat Crœsi licet, aut Junonia regna.

a *Matth.* 25. b *Luca* 16. c *Prov.* 12 d *Prov.* 27 & 28. e *Luca* 8. f *Ibid.* g *Eccl.* 31. h *Eccles.* 28.

§. 26.

Sacramentorum Virtutes explicat.

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia, Ephes. 5. v. 32.

COelestis fōtis sunt Sacramenta canales,
a Sanguine quos roseo, eduxit de corpore Christus.
Quem manibus, latere, ac pedibus profundit abunde
b Sunt cibus hæc animæ, & medicamina certa salutis,
Ad Cœlum ducunt, pura si mente frequentes,
c Mortem animæ tollunt. Vitiorum jurgite mersæ,
Efficiunt nitidam, puro quasi flumine lotam
d Sunt Oleum, & Vinum sanans, queis læsus ab hoste
Curatur, ne animam, lethalia vulnera perdant,
e Sunt Jordanis aquæ, validæ curare leprosos,
Si sese immergant, studeant & tollere sordes,

a Ac-

a *S. Augustinus in Psal.* 126. & *tract.* 20. *in Ioan.* b *Ioan* 6. c *ib.* d *Luc.* 10. e 4. *Reg.* 5.

[a] Aenea sunt Maria, abstergunt quæ crimina vitæ:

[b] Naufragus, ut captâ Tabulâ, se servat in undis,

[c] Securam reddunt sic, SACRAMENTA Salutem.

Hinc; si Tartareo, fueris superatus ab hoste,
His armis victum poteris prosternere victor.

a 1. *Paralipp.* 18: b 2. *Corinth.* 5. c *S. Hieronymus in Epistolis.*

§. 27.

Superbiam, & catera vitia capitalia vitanda docet.

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, *Iacobi* 4. *v.* 6.

Sicut in die honeste ambulemus non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione, &c. *Rom.* 13. *v.* 13.

[a] INvidia, Ebrietas, Detractio, Murmur & Ira

[b] Luxuries, Fastus, Luxus, Gula, Rancor & Omnis,

[c] Peccati soboles, fugienda est, aspidis instar:

a *Gal.* 5. b *Roman.* 14. *Psal.* 100. c *Eccles.* 20.

a His vitiis mersi, exponunt se mille periclis
Corporis atque animæ, raraque quiete fruuntur
b Nulla Deo vitii labes, plus displicet illâ,
Quam sibi præsumit, damnata superbia mentis,
Hæc olet ante Deum, fœtetque cadaveris Instar,
c Luciferum hæc Cœlo, paradyso extrusit
d Adamum:
e Hinc, quæ est causa tibi, vili de semine nato?
f Serpentum socio, qui vermibus esca futurus?
Exaltandi animum, cristas attollere in altum?
Cum nil ferme habeas, quod laudis nomine dignum:
g Si quid habere putes, Donis adscribe supernis,
Quæ dantur, laudis Divinæ, ut gloria crescat,
Ni facias, temere Cœlestem assumis honorem,
Invadisque animo, quæ sunt aliena rapaci:
h Nulla, Dei mentem, elati compassio tangit,

¶ Hanc

a *Roma.* 1. b *Proverb.* 16. c *Apoc.* 12.
d *Gen.* 3. *Iob.* 14. e *Iob.* 17. f 1. *Corinth.* 4.
g *Iacob.* 4. h *Luca* 1. *Psal.* 138. & 135.

i Hanc gerit erga humiles, quibus est submissio cordis,
Quę se demittit, propriis nec laudibus effert
i *Cant.* 1.

§. 28.

Vitam, & Passionem Christi meditandam docet.

Aspicientes in Authorem fidei, & consummatorem JESUM, qui proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contempta, recogitate enim eum, qui talem sustinuit à Peccatoribus, adversus seipsum contradictionem. *Hebr.* 12. *v.* 3.

FAsciculus Myrrhæ, Christi fit Passio amara
a Hanc si animo grato, sincero & corde revolvas,
b Fortis erit clypeus, contra adversantia quævis,
Hanc oculis præfige tuis, meditare frequenter.
Proderit, hæc animæ multum doctrina saluti,
c Quam factis docuit, verbum, Deitatis Imago,
Vindex peccati, æterni Sapientia Patris,

a Cant. 1. b *Numer.* 21. & 1. *Petri* 2.

Dum pro te voluit, varios sufferre dolores
a vinciri, colaphis cædi, dirisque flagellis.
Atque caput spinis, plexo diademate cingi,
Velari ludi, spoliari veste, Crucisque
b Dirum Supplicium, despecta in morte subire,
c Inde Latus sanctum, reserari cuspide ferri,
d Hunc pro peccatis, Calicem potavit amarum,
Ne tibi displiceant, quæ sunt adversa ferenda:
e Hæc si nulla tuam, tangat compassio mentem,
f Durior es lapide, & Brutis animantibus ipsis:
g Sol tenebris tectus, quatiens cum murmure tellus,
h Disrupti lapides, veli conscissio Templi,
Hæc animum moveant, ut grato corde revolvat,
Et lachrymas fundendo, suum testetur Amorem,

Quo

a *Matth.* 27. b *Luc.* 23. c *Ioann.* 19. d *Matth.* 26. e *Matth* 26. 1. *Pet.* 3. f *Coloss.* 3. g *Luc.* 23. h *Matth.* 7.

Quo Christo obstrictus, pro se quî talia pas-sus.

§. 29.

Beneficia Dei grato animo recolenda consulit.

Benedic Anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus. Benedic Anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus, &c. *Psal.* 102. *v.* 18.

[a] Sunt Benefacta Dei, devota mente colenda.
[b] Præfigenda oculis semperne oblivio tollat,
Dissipat ut ventus pluvias, exsiccat & arva,
[c] Sic ingratus homo, privat se rore favoris
[d] Cœlestis, Benefacta Dei, vix corde revolvens,
Indignus vitâ, & communi lumine solis:
Dicitur ingratus, saxis plus duriori ipsis,
Mollibus hæc cedunt, repetitis sæpius undis,
Angues sævitia, crudeli pectore Tygres
Ursos & lamias, superat feritate Dracones,
Qui Benefactori grates, pro munere reddunt:

a 2. *Corinth.* 1, b 2. *Thessal.* 1. c *Sap.* 16 d *Eccles.* 19.

a Cumque Deo dignas, nequeas persolvere laudes,
b Offer quod poteris, cui grata est recta voluntas;
Si volucres cantu, si cuncta creata loquantur,
Vix benefacta Dei minima vel parte referrent,
Ergo homo quid poterit pro tantis reddere donis
Condignum? Nil: sola placet submissio Cordis,
Atque Animus gratus pansis quem suscipit ulnis.

§. 30.

Sanctos invocandos, & imitandos docet.

Sancti per fidem vicerunt Regna, operati sunt justitiam; adepti sunt repromissiones, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt. *Hebræor.* 11. v. 33. & 37.

c GAudia Sanctorum, devotâ mente revolve,
d Festivi rutilæ qui fulgent Lampadis instar,
e De victo Mundo, Sathana cum morte triumphum a Con-

a *Psal.* 102. *Luca.* 1. b *Luca* 2. c 14.
d *Sap.* 3. e *Isaia* 9.

a Concelebrant, semperque Dei, magnalia cantant,
Ipsorum, pro fine bono pia vota precare,
b Quos tibi Fautores reddes, exempla sequendo:
c Quid non fecerunt Sancti, dū vita manebat?
Quid non perpessi, raperent ut præmia Cæli
d Experti laqueos, gladios, et gastula, furcas,
Ignes, ac lapides, virgasque, Rotasque, Crucesque
Pauperiem, exilium, frigus morteſque probrosas,
Et miseram in Mundo vitam, cum morte trahebant
Et tu, credo, voles ipsorum sorte beari?
Hanc sperare potes, vitam moresque sequendo:

a *Apoc.* 5. b 1. *Corinth.* 11. c *Sap.* 3. d *Hebr.* 11.

§ 31.

Beatam Mariam Virginem honorandam hortatur, ejusque figuras & laudes ex S. Litteris & Vaticiniis Prophetarum depradicat.

Ne timeas MARIA, invenisti gratiam apud Deum, &c. Spiritus S. superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi, &c. *Luc.* 1. v. 30. & 31.

PRæ cunctis, Christi Matrem, tibi quære Patronam.
Est pia, compatiens, est clemens atque benigna,
a Est Virtute potens, petit, impetrat omnia, quæ vult!
b Hæc Christo vicina sedet, Triadique supremæ.
Postquam Cœlorum, & Terræ moderatur habenas
Despicit haud ullum, cunctis solatia præstat,
c Astat in adversis, & mortis protegit hora;
Nec sibi devotos, patitur sentire tenebras
Æternæ mortis, lætos sed ducit ad Astra:
d Laus omnis, debetur ei, quæ Corpore Christum
Gessit, morte sua, qui nos à morte redemit:
e Pacifera hanc signat, dimissa Columba Noëmi,
f Arca Dei, tum *g* Scala Jacob, Vellus *h* Gedeonis,
Et *i* Lignum vitæ. Navisq; *k* cibaria portans,
Tum *l* Rosa de Jericho, in Bethlem *m* Cisterna Davidis.

Fons

a Ioan. 2. b S. Bernard de Assumpt. B. M. V. Ser. 1 c Ioan. 19 d Luc. 11 e Gen. 8 f Exod. 25 g Gen. 28 h Iudic. 6 i Gen. 2 & 3 k Proverb. 31 l Eccles. 24 m 2. Reg. 23.

Fons *a* obsignatus, revirescens Virga *b* Aaronis.
Hortus *c* conclusus, veri Paradysus *d* Adami,
e Manna pluens Cœlo, Rubus *f* incombustus ab igne.
g Arcus Cœlestis, Divini fœderis index,
h Stella ferens lucem, Arca *i* Noe, Jesseia *k* Virga,
l Porta recluſa Deo, quam non pertransijt alter,
m Nomen Evæ impositum, quando appellata Virago
Vivorum Mater, Mulier, *n* quæ conteritura
Serpentis caput, insidias victura maligni,
o Consurgens Aurora, nitens *p* Sol, Luna *q* decora,
r Mons Libanus, procera Cedrus, Templum *s* Salomonis,
t Suspirans Turtur, sponsi *u* gratissima sponsa,

a *Cant.* 4. b *Numer.* 17. *Hebr.* 9 c *Can.* 4. d *Gen.* 2 e *Exod.* 16 *Deuter.* 8. *Ioann.* 6. f *Exod.* 3. *Actor.* 7. g *Geneſis* 7. h *Eccleſ.* 50. i *Geneſis* 6 k *Iſa* 13. l *Ezech.* 44. m *Geneſ.* 2 n *Geneſ.* 3. o *Cant.* 5. p *Cant.* 9 q *ibid.* r *Eccleſ* 24. s 3. *Regum* 12. t *Cant.* 28 *Cantic.* 24.

a Abisag. b Abigael, c Iahel, d Hester, e Debbora g Iudith,

f Gratia divina, implevit pia viscera cordis,
Qua plenā, Gabriel divino affatus ab ore est,
Semper Honos, Nomenque ejus, laudesque manebunt,
Hinc nunquam cessa Matri servire MARIÆ,
Impensum Officium, magno quæ fœnore reddet.

a 3. *Regum*. b 1. *Regum* 25. c *Iudic.* 4. d *Esther* 8. e *Iudith.* 42. g *Iudith.* 13. f *Luca*, 1.

§. 32.

Præcipit carnalium Appetituum mortificationem, & salutare sui odium.

Si secundum carnem vivetis, moriemini, si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, *Rom* 8. *v.* 13.

a Corporis atque animi, vitiosos comprime motus.
b Et, quæcunque facis, rationis subjice fræno,
Nec victus cedas, quantumvis urgeat hostis,
Ne malesuada Caro, Sathanas, Mundusve triumphent,
c Molliter haud tracta, nimium nec dilige corpus,

a Spi-

a *Coloss* 3. b *Gen.* 4. c 1. *Corinth.* 9.

a Spiritus at carni præsit, vincatque rebellem,
Subtrahe ligna foco, nimium ne se exerat ignis:
Præpedit interdum, sublata occasio furtum
Ut puer, imbutus perversis moribus olim,
b Insultat, quæ non correxit crimina, Matri,
Nec verba, aut virgas, posthac nec verbera curat,
Vtque Equus indomitus, præceps evadit & asper:
c Sic assueta caro vitiis, quæ fræna recusat,
d Ad mala proclivis, proprio quasi pondere vergit
e Ast revocare gradum, pravos deponere mores,
f Hoc opus, hîc labor est, si consuetudo malorum
g Prævaleat, magno quæ devincenda labore est,
h Quo vix utilior, nullus præstantior illo est,
i Hoc nō Divitiæ, vanive parantur honores,
k Quos mundus quærit; sunt ejus præmia Cœlum,
Quem bene si sapias, nunquam perferre recusa: Est

a *Rom* 8. b *Eccl.* 30. c *Gen.* 6. d *Psalm.* 8. & 37. e *Ephes.* 6. f *Roma* 6. g *ibidem* h *Eccles.* 7. 1. *Corinth* 9. i *Psal.* 68. k *Apoc.* 14.

a Est labor hic dulcis, susceptus corde volenti,
b At gravis invito, peccati aut pondere onusto
Si servus dominetur Hero, præposterus ordo est,
Sic, si cæca caro, victa ratione gubernet.
c Infer vim vitiis, illis impone capistrum
Sic prudens mercator eris, qui lucra reportat
Mercibus exiguis, quæ non perdentur in undis:
Si durum nimis apparet, quod suadeo, bellum,
Perversâ quod semper erit cum carne gerendum?
d Cunctos mortales noris ad prælia natos
e Non vero ad requiem, semper namque excubat hostis:
f Vim Regnum Cæli patitur, fortissima quærit
g Pectora, quæ hostiles possint superare phalanges:
Quod tibi profuso mercatus Sanguine Christus,
Tun speras facile, & sine pugna aut cæde lucrari?

a Sic

a *Psal.* 118. & 127. b 1. *Corinth.* 15. c 1. *Corinth.* 9. d *Iob.* 7. 2. *Corinth.* 10. & 14. e 1. *Pet.* 5. f *Matth.* 11. g *Marci* 10. *Galat.* 4.

a Sic Christo, sanctisque fores felicior ipsis,
b Qui variis, illud meruêre acquirere pugnis.

§. 33.

Suadet externorum sensuum, linguæque custodiam.

Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ. *Psal.* 38. *v.* 1.

Si quis autem putat, se Religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum hujus vana est religio, *Iacobi* 1. *v.* 26.

c EXterni sensus, sunt crebra occasio lapsus,
Ni vigil, & prudens, adsit custodia ubique:
d Claude, *oculos*, *Aures* sepi, *Linguamque* refræna,
e Et noli *auditu*, nec *visu* admittere quidquã,
Aut *fari*, nisi, quod rationi consonat æquæ:
f Sunt spinis, claudendæ aures, dum lingua proterva,
g Nequiter effutit, quæ aliis prolata nocebunt,
Quid sonus, alterius prodest deductus ab ore?
Aëra percutiens, nullâ utilitate relictâ
Infligens Animæ crudelia vulnera mortis.

a Præ-

a *Luc.* 22. b *Hebr.* 9. c *Gen.* 3. & 8. d *Psal.* 118. e *Psal.* 38. f *Eccl.* 28. g *Psal.* 37.

a Prædo animæ est *oculus* nequam, mala forte pusillis
Scandala si præbet, Christo suadente Magistro,
b Nullus formides, *oculi* tibi tollere lumen.
Hoc etenim præstat, quam adeas utroque gehennam.
c Nonne exempla docent, cupidi lascivia *ocelli*,
Quæ mala causârit, memor es Davidis, d & Evæ?
e Ac Dinæ, amisit castum, quæ corpore florē,
f Insidiasque, senes quales struxêre Susannæ?
Pluribus immo Bonis, *visum* nocuisse frequenter?
Quid juvat aspectus, si non conceditur usus?
Nil nisi, quod major, vexet turbatio, Mentē:
Millia quid referam, funesta pericula *linguæ*?
g Quêis sese exponit, fræni illi lora remittens.
h Hæc binis labiis, & dentibus ordine cincta est,
i Ut nil imprudens, nil proferat ore nefandū:
k Est inimica Deo, feriens de more sagittæ,
Lingua nocens, aliis incommoda plurima causans; Nas-

a *Threnor.* 3. b *Matth.* 18. c *Gen.* 3. d 2. *Regum* 11. e *Genesis* 34. f *Dani* 13 g *Proverb* 18. h *Psal* 38. i *Iob.* 30. k *Ierem* 9. *Psal.* 49.

Nascitur ex vitio *Linguæ*, sentina malorum,
a Injustum bellum, lites, infamia, cædes,
Dissidia, & rixæ, maledictio, luxus, & ira:
Exerit ut pestis contagio, virus in omnes,
Vicinasque prius, mox quasvis corripit ædes,
Urbibus, & regnis, causam dat, sæpe ruinæ,
Non parcens ulli, quisquis contraria sentit,
b Ut solet, ingentem, scintilla accendere sylvam:
Sic *linguæ*, exiguum, membrum, sublima vastat,
Perversa linguâ, nil toto pejus in orbe,
Omnia pervolitat, pervertit plurima, fingens
c Et lingens, palpans, & acuta cuspide pungens
Per fora, per plateas, per claustra, domosque pererrat,
Permittit paucis requiem, sit dives, inopsve,
Servus, seu Dominus, Laicus seu Relligiosus,
Non levius, citiusque malum committitur ullum,
Quam, quod, perversæ inducit petulantia *linguæ*,
Qua, peccare potest, tam æger, quam corpore sanus,
d Perversæ *linguæ*, mundum complevit abusus,

a Quem,

a *Iacob.* 4. b *Iacob.* 3. c *Eccl.* 51. *Psal.* 56. & 63. d *Psal.* 63.

a Quẽ, nec sæva potest, inferni tollere pœna.
In quo damnatæ *linguæ* blasphemia crescit
O Monstrum, stigii mergendum fluctibus amnis,
b Tantaleâque siti dignum, pœnaque Epulonis,
Qui stillam gelidæ poscens, non obtinet undæ.

§. 34.

Otium vitandum, & temporis rationem habendam docet.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus, qui autem sectatur otium, stultissimus est, *Proverb. 12. v. 11.*

c *Otia* devita, vitiis quæ alimenta ministrant,
d Desidiosus homo, vitæ vix munere dignus,
e *Otia* cunctorum sunt incentiva malorum,
Hæc si sustuleris, periere cupidinis arcus,
Pabula peccati, quæ deses inertia nutrit:
f Temporis elapsi, Deus omnia puncta reposcet,
Quid dictum, factum secreta mente peractũ
g Cũctaque quæ fiunt de Cæli prospicit aula:
Est tempus, fulvo longe preciosius, auro,

Tota

a *Apoc.* 16. b *Luca* 16. c *Eccles.* 33. d *Matth.* 20. e *Prover.* 28. f 1. *Ephes.* 5. *Psal.* 15

Tota hominumque salus transacto ex tempore pendet:
Et tamen, acceptas perdis tã turpiter horas,
Atque Dies, Mensesque Annosque & plurima lustra,
a Nulla operum studio, collecta fruge bonorum,
An speras, inculta feret tibi vinea botros?
Arva inarata cibos, speratæ præmia messis?
Erras, hæc studio: multoque paranda labore.

§. 35.

Mansuetudinem laudat, nec ulli detrahendum, vel Detractorem audiendum præcipit.

Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. *Psal.* 36.
Si mordet serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit, *Ecclesiast.* 10. *v.* 11.
Sepi aurem tuam spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras, *Ecclesiast.* 28. *v.* 28.
b Sis cunctis placidus, mansuetus. sisque benignus
c Lenis, & ipsorum patienter suscipe mores,
d Si tamẽ offendant, vindictam quærere noli,
Sed

a *Matth.* 25. b 2. *Timoth.* 2. c *Ephes.* 4.
d 1. *Reg.* 24. & *Genesis* 45.

Sed magni meriti reputa, magnæque coronæ
Authorem, casu quisquis te læserit ullo.
a Exspecta patiens Dominoque relinquito causam
Sic, etenim prudens, sequeris vestigia Christi,
b Qui tulit ingratæ diversa opprobria gentis,
Et veniet major tibi consolatio Cælo:
c Ipse sed alterius famam, ne læseris unquã,
Hæc reddenda magis, quam res externa jubetur
d Ecquid in alterius mores, vitamque reflectis
Obliquos oculos? proprios attendito gressus,
Et cave, ne titubes, proprio sub pondere pressus,
e Nam proprium cuicunque onus, est portare necesse,
Non quod in alterius, tergo est, humerisque alienis,
f Num stultum censes, aliorum carpere nævos,
Et turpes, proprii maculas, non cernere vultus?
Heu, quoties rancore malo, invidiaque laborans,

a Con-

a *Luc.* 21. & *Coloss* 1. & 3. b *Psal* 21. & 30. c *Sapi.* 1. *Iac.* 4. d *Rom.* 2. e *Galat.* 6. f *Psal* 108.

a Condemnas Rectum, pravus, defendis iniquum,
Ut fert affectus, rationem passio vincens,
Quam vocitas, sancto Divinum nomine Zelum,
b Trabs oculis infixa tuis, festuca videtur,
Ast festuca hærens, alieno in lumine trabs est,
Sic lippum, infirmus visus, te fallit ubique:
Rectius in proprium, torqueres lumina pectus,
c Lurida multorum vitiorum, ubi monstra videres.
Utilis, hæc propriæ foret, exploratio vitæ,
Qua festuca prius, nunc trabs tibi vasta pateret:
d Sæpius auditu, graviter peccatur, ut ore,
e Ni *detractori*, patulas quis clauserit aures,
Et facie monstret, minime sibi dicta probari,
Namque Aquilo pluvias, ut ventus dissipat auras,
f Sic facies tristis, dispellit crimina linguæ,
Utque foco desint, si ligna, extinguitur ignis,
Peste, susurronum ablata, sic jurgia cessant
Et maledicta brevi sumet *detractio* finem.

§. 36.

a *Luca* 18. b *Matth.* 5. c *Roma.* 4. d *Eccles.* 28. e *Ibidem.* f *Proverb.* 25.

§ 36.

Consortia prava declinanda docet.

Qui tetigerit picem, coinquinabitur ab ea, & qui communicaverit superbo, induet superbiam. *Ecclesiast.* 13. *v.* 1.

a Associare bonis, consortia linque malorum,

b Quæ facile abducunt incautum, tramite recto.

c Præcipitemque alto, vitiorum in gurgite mergunt

d Qui picis attigerit sordes, fœdabitur illis,

e Sic tumido, quisquis convixerit, atque superbo,

Induet ecce animo: cum vestibus, ipse cothurnos.

f Fermenti ut modico, corrumpitur integra massa,

Prava bonos perdit, sic consuetudo malorum:

g Natura in vitium præceps, velut impetus auræ,

h Aut lapis, ad centrum, nativo pondere fertur:

Cal-

a *Psal.* 17. b *Eccles.* 13. c *Marci* 7. d *Eccles.* 13. e *Eccles.* 13. f 1, *Corinth.* 5. g *Gen.* 6. *psal.* 13. h *Galat.* 5.

Callidus hæc nostris, infudit toxica serpens
a Visceribus, vetitum cum sumpsit ab arbore pomum
Infœlix Adam, genus à quo, ducimus omnes
Nitimur in vetitum quotquot, cupimusque negata.

§. 37.

Consulit Sacramentalem Confessionem non differendam, & qualiter ea instituí debeat, docet.

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur: *Prov.* 28. *v.* 13.

b QUidquid delinquis, mature expressa dolore
c Contriti cordis confessio, seria mundet:
d Absit, ut hoc dicas, peccavi, & quid mihi triste
Acciderit? est etenim patiens Deus Arbiter, ergo
e Converti ad Dominum non tardes, nec male differ
Quotidie, subito veniet namque illius ira,

Te-

a *Gen.* 3. c *Proverb.* 28. e *Psal.* 50. d *Eccles.* 5. e *Ibid.*

Teque, Malosque omnes, vindictæ tempore perdet:
a Nunc age prævenias, dum mors te exspectat ubique
Tollere, vel morbus, rationis frangere vires.
b Sæpius assiduo, si non renovetur aratro
Durus ager, duras. molli pro gramine spinas
Proferet, at duro, fuerit si vomere scissus,
Afferet optatam, maturo tempore messem:
Sic Animæ subigendus ager, studioque colendus,
Omnibus ut vitiis, vitiorum & semine purus
c Condignos grato, producat germine fructus:
Instrumenta cupis, culturæ accommoda tali,
Optimus hic vomer, pura & *Confessio* rastrum est,
d Hæc Cœli est clavis, certa hæc medicina malorum est,
e Fonsque salutaris, maculas qui diluit omnes,
Restituens luci, tenebroso carcere dignum,
f Pœnam commutans, & tollens Numinis iram.
g Nulla sit, ergo tibi confusio, dicere verum,

Quo

a *Prov.* 20. b *Prov.* 24. c *Psal.* 125. d *Matth.* 16. e *Zacha.* 13. f 2. *Reg.* 12. g *Eccle.* 4.

Quo pura, impuram mundet, *Confessio* mentem,
Hæc tibi sit clypeus, cõtra ignea tela inimici,
Sit tutum, quoties instat Tentator, asylum!
Huc fuge, si stygius Venator retia tendat,
Huc properes, adsit si quando occasio lapsus,
Aut agat in vitium, carnem, corrupta voluntas,
Ne miser, inferni, diro superatus ab hoste,
Ludibrium superis fias, spoliumque barâthri;
O Homo peccator, vario qui crimine pressus,
Fœtens ante Deum, æternum damnatus ad ignem,
Compedibus vinctus Sathanæ, num corde reflectis,
Quid de te fieret, sententia quæque maneret?
[a] Horâ, si improvidum, te mors aufferret, eâdem?
Ni cito pœniteas, crimen *confessio* tollat:
Hinc melius sape, ferratas rumpendo catenas,
[b] Quæque animam fœdant, damnant, peccata fatendo:
Nec pudor hinc revocet, suggestus Dæmonis astu,
[c] At magis, impendens Divini Numinis ira
Et pudor æternus, toto coram orbe futurus,

a Luc. 12. b *Psal.* 31. & 37. c *Roman.* 1.

Sumere te moneant, hæc commoda pharmaca vitæ:
Sæpius infirmum, solatur potio amara,
Sic peccatorem, *Confessio* mixta dolore.

§. 38.

Explicat utilitates & effectus Divini Amoris, & devotæ Orationis, ejusque requisita, & distractionis nocumenta.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota Anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua; *Deuter. 6. Matth. 22. Marci 12.*

Si quid petiveritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, petite & accipietis; ut gaudium vestrum sit plenum. *Ioan. 16. v. 24. Matth. 7. v. 11.*

OMne tuum studium, cordisque intentio tota,
[a] Sollicitudo, labor, cura, & directio vitæ,
Tendat in augmentum, Divini semper *Amoris*
Semina sic spargis, quæ multiplicata resurgent
[b] Est Cœli Thesaurus *Amor*, pax inclyta cordis,
[c] Ignis continuus, qui non extinguitur unquam, *Si*

a *Psal. 118.* b *Matth. 13.* c *Actor. 2. S. August. Meditat. cap. 10. S. Bernardus in iubilo.*

Si non deficiant, pia nutrimenta caloris,
Quêis plenum est Cœlum, quêis terræ machina abundat,
Pectore quæ sacram flammam collecta fovebunt
[a] Quot sunt dona Dei, tot sunt hæc symbola *amoris*
[b] Est operosus *Amor*, permittens otia nunquam
Erumpit sursum, Cœlum petit, ardua quærit,
[c] Hic divinus *Amor* solus, sic sufficit omni,
Ut totum repleat, nullum permittat inane:
[d] Est *Amor* ipse Deus, fons omnis, & Author Amoris,
Iugiter hoc ardent, Cherubini cum Seraphinis:
[e] Omnia vincit *Amor*, mors ipsa, & cedit Amori,
[f] Hunc, si possideas, totum, quod quæris, habebis
Æternæ firmum pontem, sterneque saluti,
Rumpendum nunquam, pereant licet omnia mundi:
[g] Provocat hunc sanctum, devota *Oratio Amorem*,

a *Psal.* 102. b 1. *Corinth.* 13. c *S. Augustinus soliloquiorum cap.* 19. d 1. *Ioan.* 4. 6 *Cant.* 8. e *Matth.* 13. g *Act.* 1. & 2.

Detrahit è Cælis, humanis mentibus inferri,
Non secus, ac magnes, trahit ad se pondera ferri,
Expellit tenebras, emollit pectora dura,
a Frigida cælesti, perfundit corda calore,
b Quo succensus homo, sapiet Cœlestia dona,
c Omnia despiciet, mundi quæ gaudia fingunt:
d Est Animæ cibus, & jucunda refectio mentis,
e Hacce carens arida est, omni privata virore:
f Tristitiam fugat, & cordi solatia præbet,
g Certus in adversis clypeus, defensio, murus,
h Securus portus, nullis cedendo procellis,
Quæ licet exurgant, nihil hæc tamen usque nocebunt:
i Hinc nunquam cessat, vigilans Oratio ab ore,
k Cordeque versetur, desint si occasio, tempus,
l Scilicet ut fertur, volucris super aera, pennis,

a Sic

a *Psal.* 38. b *Luc.* 12. c *Philip.* 3. d *Psal.* 118. e *Psal.* 142. f *Iacob.* 5. g *Psal.* 80 & 119. h *Psal* 22. & 26. i *Luc.* 18. k *Ephes.* 6. l 2. *Paralip* 7.

a Sic devote *orans*, volitat super æthera Cœli,
b Et citius votis, acquirit sæpe petita,
c Obtinet in puncto, quod non sperabat in anno:
d Si tamen ad Tempus, Domino differre placebit,
e Sis patiens, cœptasque preces postponere noli.
f Nec desponde animum, geme, spera, instantius *Ora*:
g Arbor non uno, repetito sternitur ictu:
h Sæpius haud animæ, exaudita *Oratio* prodest:
i Hinc orando pete, ut fiat Divina voluntas,
k Sic meritum acquires pia quod *Constantia* donat,
l Diligit hanc Deus, in factis hanc quærit ubique

a *Psal.* 140. *Apoc* 5. b *Psal.* 9. & 76. c *Psal* 20 *Isa.* 65 d *Psal* 12. e *Eccles.* 1 *Luca* 8. f *Psal.* 76 g *Ibid.* h *Psal.* 77. & 104. & 105. *Exod* 17. 1. *Reg.* 8 *S. Ambrosius de fide Resurrectionis.* i 1. *Mach.* 3. *Matth.* 6. & 26. k *Matth.* 15. *Luca* 8. *Ioan.* 20. *S. Gregor. homilia* 25. l *Gen.* 32. *Iosue* 10.

Constanteſque preces, fœlici fine coronat.
His capies, quęcunque voles, his vincitur ille,
Qui virtute potens, Mundo dominatur & aſtris,
a Et perdives opum, quævis ſic fœnore reddit,
Ut nec aquæ potum, vacuum mercede relinquat:
Ut ſit grata Deo tibimetque *Oratio* proſit,
b Spes ſit unita Dei, Fidei ſit cincta decore,
c Atque humilis cordis d mortali à crimine pura,
Virtutes pete, peccata e emendare ſtudeto,
f Redde Deo grates, grates benefacta repoſcunt,
Hæc ſtatue ante oculos, nulla hæc oblivio tollat
Sunt, ea plura magis, quam ſunt in littore arenæ,
Neve æquare potes nullaſve rependere vices,
Hæc memorando, licet vitam conſumpſeris omnem,
g Nec proſunt animæ, dum plurima verba profaris,

Si

a *Matth.* 10. & 25. b *Daniel* 13. *Pſal.* 51. 71. & 77. c *Eccl.* 35. d *Pſal.* 49. *Iſa.* 1. e *Pſal.* 38. & 128. f *Pſal.* 33. & 115. *Philip.* 4. g *Iſa.* 19, *Matth.* 15. *Marci* 7.

Si non, juncta pio cordi, *Devotio* vera:
[a] Nobilis hæc gemma est, magno quærenda labore,
Sanctarumque *Precum* Nucleus, succusque, medulla
Hæc si deficiat, vires, nec robur habebunt.
Corporis externos gestus, cõpone decenter,
[b] Custodique Oculos, nõ huc illucve reflecte,
Sæpe perit, tali inflexu devotio tota,
Est ingrata Deo, vanis *Oratio* mixta,
Ni revocando animum, pellas quæ vana recurrunt
[c] Vah mortalis Homo, pẽdes qui totus ab illo
[d] Mendicus, Servusque Dei, Peregrinus, Egenus,
[e] Ex cujus nutu, vitæ spiracula ducis,
[f] Quique à solo ipso, debes sperare salutem,
Et redis in nihilum, instantini protegat omni,
Hunccine præsumis, distracto corde *rogare*
[g] Sæpius ignorans, labiis quæ verba profaris.
Ipse noces tibi, peccatis & semina præbes,
Orandoque magis Divinam colligis iram:
Rex qua frõte, tua audiret, stolidissima verba,
Quæ confusa nimis, vix forte intelligis ipse,
An non iratus regali excluderet aula, Et

a *Matth.* 13 b *Psal.* 118 *Trenor.* 3. *Proverb.* 4. S. *Gregor. in Iob* c *Psal.* 30. d *Psal* 38. *&* 39. e *Dani.* 1. f *Psal.* 103. g *Isa* 19 *S. Bernar. medit. cap.* 1. *sanct. Chrysost in serm.*

Et graviter lueres, tanti contemptor honoris!
[a] Sic faciet Deus, in *precibus*, si mente vageris,
Contemptumque sui, spreti zelabit Honoris:
Hinc ne aliunde nocens rapiat distractio mentem,
[b] Divino coram vultu, te stare memento,
Quem Sancti, Angelicique Chori, laudando tremiscunt.
Prostrati in facies, humili cum voce salutant,
[c] Qui notat, observatque *preces*, & intima cordis
Inspicit, atque audit, puro nũ corde rogetur
[d] Datque locum precibus, seu spernens aure repellit:
[e] Hæc animo concepta, DEI PRÆSENTIA ubique
Utilis *oranti*, impediet phantasmata vana,
Immissa à Sathanâ, meritorum ut præmia tollat:
Hæc si rite observes, nunquam *Oratio* fructum
Amittet, duplicem præfixo tempore reddet, §. 39.

a *Matth.* 15. b *Proverb* 15. *Apoc.* 5. *sanct. Augustin. meditat. cap.* 24. c *Eccles.* 23. *Iob.* 13. & 31. *Psal.* 138. d 1. *Reg.* 1 & *ibid* 16. *Matth.* 8. & 20. e *Gen.* 24. *Psal.* 118. & 141. *Eccl.* 34. & 39.

§. 39.

Suadet maturam rerum suarum, in sanitate dispositionem, & agonizantis hominis angustias, & extremam ejus cum morte luctam describit.

Hæc dicit Dominus, dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives. *Isaiæ* 38. v. 1.

TUnc Domui dispone tuæ, æternæque saluti
Prospice, dum mentis compos, dum corpore sanus,
Ac tempus patitur, tantis incumbere curis,
Quas differre diu, stolidum est, plenumque periclis,
Quæ noscens, tristis veniet cum tempus agonis:
Difficile est homini, tunc invigilare saluti,
a Cum dolor affligit, morbusque augetur in horas,
Faucibus occludens halitum, & præcordia stringens,
b Lingua, manusque, pedes, & cætera membra rigescunt,
Lucem oculi fugiunt, auditus deficit ægro,
Cor salit, & languet, facies pallore repletur,

a 2. *Machab.* 5. b *Petrus Damianus.*

Ingeniumque perit, sitis ardet, lingua palato
Hæret, nec poterit, quæ vult sermone profari,
Fastiditque cibos, requies somnusque recedit
a Sperat, desperat, distenditur undique curis,
b Nunc latus in dextrum, se voluit, nunc que sinistrum;
Nec relevamen habet, motum superante dolore,
Pluraque tunc adsunt, diræ prænuntia mortis,
Agmine cum facto, invadunt peccata nocentem,
c De quibus, in vita, nunquam fortasse reflexit,
Ut totam veniæ spem, desperatio tollat,
Hinc lucta interna, hinc sequitur turbatio mentis,
Ancipitique metu, totus percellitur æger,
d Nescius inferni, vel Cæli sede locandus,
Dum ventura brevi, dubii conclusio finis,
Gaudia sanctorum, inferni aut tormenta daturus:
Assistunt ægro flentes, augentque dolorem,
Nil prodesse queunt, vitæ solatia desunt,
Tunc Draco Tartareus, gaudens, modo tempus adesse. Spe-

a S. Gregorius Nyssenus in Homilia ad Monachos. b Psal. 40. c 2. Macha. 9. d Eccles. 8.

Speratum dudum; toties cur retia jecit,
[a] Advolat, immani ut prædam, deglutiat ore:
[b] Adstat & Angelicus Custos, defendat ut ægrum,
Auxiliumque ferat, rabido ne cedat in escam,
Accipiatque brevi, transactæ præmia pugnæ,
Ut postrema ferret sententia, Iudicis æqui,
Sic de te pugnatur homo, & tamen immemor horum es?
[c] Corpus mandatur terræ, fit vermibus esca,
Deque salute Animæ, vix cura aut sollicitudo
[d] Sed magis, ut rapiat, defuncti morte relicta,
Quæris veluti spoliis hostis quæ cepit ab hoste
Ditati læti celebrant Jovialia festa:
Hæc homo, vera sciens, securè an vivere pergis?
Despiciens ea, quæ certo ventura sciuntur?
[e] Evigila, nam tempus adest, expelle soporem,
Si modo non facias: nil post vigilare juvabit:
[f] Quid tunc divitiæ, mundique habuisse favores,
Agmina servorū, palatia splendida honores,
Proderit? auxilium nequeant cum ferre saluti

[a] Apoc. 12. [b] Luc. 16. [c] Gen. 3. Iob. 17. & 25. [d] Eccl. 6. [e] Roma 3. [f] Proverb. 11. Psal. 48. & 75.

Afflictura magis, positum in certamine finis,
Quid, rogo, facturus, tanto qui gurgite mersus?
[a] Interno, externoque carens solamine, sol?
Undique respiciens, nullum succurrere cernens?
[b] Tanta futurorum profert oblivio damna,
Quæ spes longævæ vitæ, causatur inanis,
Ultima peccatis, claudat si, limina vitæ:
Hinc cape consilium, in mortis, quod proderit horâ,
Fac bona, cum poteris, mala vita, respice finem,
[c] Esto inopi largus, nec nummos arca reservet,
Hos hilari, largaque manu, disperge petenti,
Sic non discedes solus, comitatus Amicis,
Qui vigiles aderunt, & opem conferre parati,
Ne Leo diripiat rugiens, orcoque remittat:
Hæc, si sæpe tuam, subeat meditatio mentem,
Prospicies citius rebus, fatalia mortis
Expectans minimè, quæ tunc magis altè quirunt
Cum tua causa agitur, mortis; vitæve perennis
[d] A quâ finali, nunquam appellare licebit.

§. 40.

a *Eccl*, 51. b *Matth.* 25. c *Tob.* 14, d *Eccl.* 12.

§. 40.

Spiritus & carnis luctam internam & qualiter se homo circa illam gerere debeat, explicat.

Spiritu ambulate, & desideria carnis, non perficietis. Caro enim concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem, ad *Galat. 5. v. 15 & 16.*

[a] SPiritus & Caro, cum semper luctentur in armis,
[b] Et Mundi ac Sathanæ, nunquam certamina desint,
Nostraque diversis sit vita objecta periclis:
Quis solus poterit; pugnaces vincere turmas?
[c] Non nisi, qui vigilans, semperque paratus ad arma,
Divini clypeo bene sit munitus Amoris:
Nullus confidat nimium, nec stare quietus
Tentet, at in cunctas partes, sua lumina flectat:
Utitur insidijs hostis, nec prodit aperto
Marte, sed improvidum, trahit in sua vincula captum:
[d] Hinc semper pavidus, nulli confide quieti,

a *Hebr. 6.* b *Ephes 6.* c 1. *Pet. 5.* d *Prov. 28.*

Ex oraq; Deum, tua qui certamina cernit,
a Ut ferat auxilium, assistat, defendat ab hoste,
Tunc securus eris, victoria certa sequetur,
Confususque hostis fugiet, pacemque relinquet
b Ad tempus, minimeque tamen, cessabit ab armis,
Invenietque novas artes, fraudesq: nocendi.
Hinc repetenda prior pugna est, roburque virile
Sumendum, nec danda quies, nisi morte peracta

§. 41.

Virtutem PATIENTIÆ *ac ejusdem utilitatem & necessitatem describit.*

Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua PATIENTIAM habe, Eccl. 2. v. 4.
In PATIENTIA vestra possidebitis animas vestras, *Luca* 21. *v.* 19.
PATIENTES igitur estote frâtres usque ad adventum Domini, *Iac.* 5. *v.* 7.
INter virtutes, Cœli quîs regna meremur,
Præcipuè excellit duri PATIENTIA victrix,

Vir-

a Rom. 10 b Luca 11.

a Virtutum Custos, Radix, Aurigaque, currus,
b Quam docuit Christus, factoque exercuit ipso,
Discipulisque suis, servandam jussit ubique.
Quâ sine, nulla potest vere subsistere virtus,
Quæ nucleo dulci, duro sed cortice constat:
Annehomo, tam fœlix, in mundo cernitur ullus,
c Conditione gravis, pauper, seu stemmate clarus,
Qui semper lætus, fortuna ususque favente?
In cunctis fœlix? nunquam contraria sensit?
Vix credo, ex cunctis reperiri millibus, unum:
Hoc fructu optato, gaudet PATIENTIA sola:
Obscurare solet Phœbum, nubecula sæpe,
Et mare pacatum, minime prævisa procella:
d Sic nihil est homini stabile, aut quod permanet idem,
Subditur at varijs, momento motibus uno,
Nunc tristis, lætus, sanus, morbove laborans,
Dives, egenus, tum pace fruens, mox litibus ardet
Nam velut, alterno inconstans fluxuque refluxu

a Turba

a S. Gregor. hom. 34 in Evang. S. Thom. 22. quæst. 136. art. 2. b Luc. 21. c Iob 14. d Dan. 5. Ester 7. Dan. 4.

a Turbatur Pelagus, descendit, scandit inaltum,
b Sic variatur homo, rerum mutante recursu,
Æqualique statu, in vitâ, vix permanet unquam;
Et multi tamen, insipientis cordis Alumni,
In Mundo requiem venantur, & otia quærunt,
c Quæ non invenient, nisi sint virtute probati:
Non ulla est virtus, toti sic utilis orbi,
Perficiensque hominem, quam sit PATIENTIA firma,
d Hac bene munitus, poteris perferre quod optas,
Morbos, pauperiemque pati, ac contraria quævis:
Absque hac, jejunare grave est, orare molestum,
Ac animi motus, durum superare nocivos,
Atque injusta PATI, vitijs indicere bellum,
e Res famamque tuam lædenti, ignoscere prompte,

a Cu-

a Psal 106. b Psal. 39 c Eccles. 2. d Tobiæ 2. Iob 4. & 16. Psal. 9. Proverbiorum 9 Ecclesiast. 8 Roman. 5. e Matth. 5. Luc. 6. Roman. 5

a Custodire oculos, b aures, c linguamque loquacem,
d Continuo pravam naturam, vincere bello,
Quæ solus PATIENS, animo bene perferet æquo,
Invito impatiens, sine spe mercedis & ulla.
e Nulla adversa timet PATIENS, ad cuncta paratus,
Cum patiendo sciat, meriti se augere coronam,
Fertque Crucem placidus, sequitur sine murmure Christum,
Ductorem fidum, qui vires addit Eunti
Demonstratq; vias, & onus portare juvabit,
Ad Montis donec, veniat suprema SIONIS,
Præmia ubi capiet, perpesso digna labore,
Est Rosa cum spinis PATIENTIA, fundit odorem:
Flos gratum, spinaq; caret, dum sente revulsus:
Sic in terra adversa manent, sed præmia cœlum
f Servat, cessat spina, manet Rosa florida semper:

Hinc

a Iob 30. Psl. 118. b Eccl. 28. c Psal. 38. d Gen. 4. Matth. 16. Ioan. 21. 1 Cor. 9. S. Aug. tr. 20. in Ioan. S. Greg. hom. 22. in Evang. e Psal. 26. & 22. Iob 1. f 2. Matth. 7.

Hinc bene si sapias & fundamenta quietis
Sternere certa velis, quæ non turbatio tollat,
In cunctis PATIENTER age, & turbabere nunquam,
Efficiet dulces. PATIENTIA sancta labores,
Suscipietq; volens, divini signa favoris,
Eveniant quæcunq; velint, contraria surgant,
Est in tristitiâ, certus PATIENTIA portus,
In bello gladius, scutum, defensio, murus,
a Mons firmus, Castrum, quod non vincetur ab hoste;
Ut condimentis, Escæ redduntur amaræ
Dulces, dura caro mollis, gustuque suavis;
Sic condire cibos, poterit PATIENTIA duros
Virtutum, cordis quarum dulcedo palatum,
Sic solet afficere, ut videatur melle repletum,
b Certus quod pœnam, requies æterna sequatur:
Nil grave virtuti, quando PATIENTIA nutrit,

Quæ

a Tob 2 psal. 96 & 70. Luc. 8. & 14. Rom. 5. & 15. b 2. Matth. 7.

Quæ minus haud recreat, quam nutrix lacte pusillum;
Nobilis est virtus, quam dat PATIENTIA cordi,
Hæc si deficiat, virtutis nomen inane est,
Nec meriti, laudisve capax, fastidia gignit,
Quod panis vitæ tribuit PATIENTIA confert
Omni virtuti, si sit meritoria cœli:
Virtutis sedes, posita est in rupibus altis,
Ascensus quorum durus, plenusque periclis,
Ni comes adfuerit PATIENTIA, robur adaugens:
In cunctis ergo rebus, PATIENTIA Dux sit,
a Quæ faciet leve, quod grave, diminuetq; laborem:
Non est in campis, fructus pretiosior ullus
b Utiliorque homini, quam sit PATIENTIA constans
Hac, si forte cares, nec flos hic crescat in horto
Interni cordis, totis conabere votis,
Exorare Deum, ut folium transmittat ab alto,

Quo

a Matth. 11. b S. Cyprianus Serm. 3. de Patientia.

Quo faciat dulces flores, quos credis amaros.

§. 42.

Æternitatem describit, & continuam ejus memoriam habendam docet.

Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui, *Psal. 47. v. 6.*

Incurvati sunt colles Mundi, ab itineribus Æternitatis ejus. *Habacuc 3. v. 6.*

Discedite â me in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus, *Matth. 25 v. 41.*

Qui pœnas dabunt in interitu Æternas, â facie Domini, & gloria Virtutis ejus. *2. Thessal 1. v. 9.*

COntinet Æternum, spacia infinita per æva,

Deficit & nunquam, sed semper permanet idem,

Non illud facunda potest, edicere lingua,

Nec capere ingenium, aut doctus describere versus;

Illius hinc umbram solam, monstrare laboro

Æterni nemo, vastum penetrabit abyssum,

Descendet semper, nec erunt vestigia finis;

Æternum, verbum durum est, si Æterna sequatur

Pœna-

a *Matth. 25.*

Pœna, sed acceptum, resonet si præmia cœli.
a Hoc terrore, solent justorum corda pavere,
Æternosque annos, retinent in mente reclusos;
b Impij ad immemores, hic vivunt absque timore,
c Nec cordi sumunt, esset ceu fabula vana
Donec eos doceant, Æternum, Frigus & Ignis.
d Æternus, qui luce caret, cunctæque quietis
Expers, multiplicat pœnas, sine fine perennes;
e Nunquid deliciæ, Saltus, convivia luxus?
Organa lætitiæ? carnis seu fœda voluptas?
Ac cibus & potus? dulcis sint nectaris instar?
Seu quodcunque potest, homini contingere gratum,
Quando carent requie, tandem fastigia gignunt?
f Annuet expertus, nolit si vera negare,
Nam requie ablatâ, in mundo durabile nil est:
g Hinc, pœnas expende graves, quas inferet ignis
Ardens continuo, consumens corpora nunquam:

O

a *Habacuc.* 3. *Ps.* 118 & 47. b *Ps.* 143. & 16. ac 72 c *Sap.* 2. d *Ierem.* 15 & 17. *Ioan.* 15. *Apoc.* 19 & 21 e *Sap.* 2. f *Sap.* 5. g *Ps.* 139.

O quam fœlici, natos se sorte putarent
Damnati, si post annorum millia mille,
Tunc Deus è Cœlo, volucrem demitteret alto,
Imperiumque daret, rostro ut portaret arenæ
Granum, de cunctis, in Mundo, montibus, unum,
Ac simul his lapsis annis, pro more rediret,
Donec totius Mundi, evacuasset arenas,
Securique forent, quod post hæc tempora lapsa,
(Infinita licet, si computus arte probandus:)
Æternas possent, Inferni evadere pœnas,
Sperarent finem, sic tandem instare dolorum
Sed minimè fiet, spes est præcisa volucris,
a Adveniet nunquam, non Ævum tempora mutant,
Sed manet ut fuit, & sententia lata manebit,
A quâ finali, quævis exceptio cessat,
Quam non elident, omnes in jure periti,
Ac immota manet, nulla revocabilis arte,
b Nam qua parte cadunt, hac semper ligna manebunt:
c Proferet hunc tristem, ÆTERNORUM oblivio fructum
Quem si non optes, ÆTERNIS prospice rebus

Ac

a Iob. 1 Psal. 54. Luc. 16. Matth. 25. b Eccles. 11. c Sap. 5. Luc. 6.

Ac Animo, ÆTERNUM, noctuque diuque revolve,
Ut quando veniet, maneant tibi præmia cœli,
a Et quod tunc fecisse voles, fac tempore vitæ,
Ut non pœniteat, capiet cum Gratia finem,
b Et Ratio reddenda Deo, tempusque propinquat
Mortis, & Æterni poscet Fatalia Judex,
c Firmiter & statuet, quod non mutabitur unquam,
d Judiciumq; feret, momento temporis uno,
Quando Anima egreditur, carnisque ergastula linquit:
Prudens Nauta, videns instantes imbre procellas,
Non dormit, vigilat, parat instrumenta salutis,
Demittit Velum, Malum, Antennam, Anchora prompta est,
Ac ut naufragium vitet, desudat ubique;
e Sic quoque tu vigila, Æternas præverte procellas,
f Undiq; verte oculos, ut spirant flamina Mundi, In-

a *Matt.* 25. b *Luc.* 16. c *Matt.* 25. c *Domin. Soto in* 4 *dist.* 45. *q.* 1. *a.* 3. d *Matt.* 24. & 25. e *Psal.* 38. *Prou.* 13. *Habac.* 2.

Instrumenta tenens, horâ quâcunque parata,
Ne prævisa minus tempestas vincat aquarum
a Observa ac Imbres, Syrtes, Scopulosque dolosos,
Qui latitant varij, vitæ præsentis in undis,
Naufragiumque parant, Stygijs & fluctibus amnis,
b Demergunt Animas, nisi sit vigilantia constans,
Quam dabit, ipsa frequens Mortis Meditatio, & unâ
c Judicij, Inferni, Cœli, Æternique futuri,
Gaudia perpetua, aut luctum sine fine datura.

§. 43.

Describit gaudia sanctorum, & Cœlestis Regni pulchritudinem.

Quam dilecta Tabernacula tua, Domine virtutum concupiscit & deficit anima mea in atria Domini, *Psal.* 83. *v.* 1
Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. *Psal.* 149. *v.* 5.
ESt Hominis communis Amor, qui fertur in omne

Quod

a *Psal.* 103. S. *August. Medit. cap.* 24. b *Matth.* 18. & 25. c *Eccli.* 7.

Quod putat, esse bonum, conferre & commoda posse,
a Sæpius illudit tamen, hæc Persuasio falsa,
b Cum bona vera putet, quæ sunt extrema malorum,
c Et quæ melle latent, post sint absynthia amara,
Hæc prodit finis, pro lætis tristia reddens:
d Ergo bonum mundi, dolus est, deceptio, frausque,
e Est ham², laqueus, Sathanæ fallaxq; sagena,
f Blandaq; Serpentis facies, cui cauda nociva
g Qua ferit incautos, infert mortisque venena,
h Et post deridet, quos sic infecit, ovatque
Ut victor lætus, prædas ex hoste reportans:
i Hinc bona certa magis, quæ sunt æterna, require,
k Quæ cœlo veniunt, stabilem referentia fructum,
Fraude dolisve carent, omnisq; expertia fuci,
Fortunæve Rotæ, stabili fundamine nixa
l Hæc inter bona, perfectum summumque bonorum est,

a *Gen.*3.2.*Reg.*11.b *Prov*,23.*Gen.*30 c *Daniel*13.*Iob* 21.d *Sap.*5.e *Ps.*139 f *Gen.*3.1.*Corinth* 11 g *Apoc.*17.h *Abac.*1 i *Coloss.*3.k *Iacobi* 1.l *S. Augustinus Medit. Cap.* 23.

Depositо vili, mortalis pondere vitæ,
a Æthereas animam sedes; conscendere lætam,
b Dilecto innixam placidè super æthera duci
c Amplexu dextræ recipi, constringier ulnis,
d Electam sponsamque Dei pulchramque Columbam.
e Dicier, impositum finemq; audire laborum
f Cælestem scribi Civem, diademate Regis
Cingier, innumeris Sanctorum cætibus addi.
g Dotibus ornari, Carni quas gloria confert.
Subtilem esse, & clarum, impassibilemque agilemque,
h Vestiri byssо, nitidis splendescere gemmis,
i Candidulas gestare stolas, palmasque virentes
Lilia mixta Rosis, Violis intextaque serta
k Sceptra aurata manu, dominatus signa tenere,
l Angelicos spectare Choros, convexa tueri,
m Cœli, Divini radiari lumine Vultus
n Dulcisonum resonare melos, gustare supernas

Delicias

a *Cant.6.& 8* b *Ibidem*, c *Ibid* d *ib.* e *ibid* f *Eph.2 Tob.2.& 6* g *Ps.10 Apoc.4.& 7, S. Thomas supplem.q.82.83.& 84.* h *Apoc.6.& 7.* i *ib.* k *Sapi.10.* l *Psal 35.1. Ioann.3.* m *Apoc. 5. Psal.48.* n *Luca 22. Psal.358.& 149.*

Delicias, grati satiari nectare potus,
a Et suavi externos sensus, dulcedine pasci:
b Per Cœli volitare polos, plus ocyus Euro,
Mente loqui quæcunq; voles, constare beatis
c Turbari nunquam, morbos mortemve timere,
Abstergi lachrymas, omnique carere dolore,
d Lunari subjecta globo, tormentaque averni
Spectare, & varias rerum cognoscere causas,
Iucundisque frui socijs, convescier illis:
e Contemplando Deum, nova gaudia carpere semper:
f Hæc sunt vera bona, æterno quæ tempore durant
Perpetuoque hujus vitæ, condigna labore.
Splendida quid referam, Sanctorum Habitacula Cœli?
Quæ miris ornata modis, pulcherrima visu!
g Portæ constructæ gemmis, auroque plateæ
h Excelsi muri, Chrystalli more refulgens.
i Horum fundamenta, auri sunt lamina mundi,
k Jaspide, Cbrysolitis, saphiris mixta coruscant

a *Isai* 60. *Apoc.* 14. b *S. Thomas supplem. q.* 84. *art.* 3. c *Apoc.* 21. d *Luca* 16. *Isai. ult.* *Psal.* 79. 1. *Corinth.* 11. e *Apoc.* 7. f *Rom.* 8. g *Apoc.* 21. *v.* 12. h *Ibid.* i *Ibid.* k *ibid.*

a Smaragdis, hyacinthis, berillo atque amethysto
Chrysopraso, calcedonio, viridique topaze:
Sunt & majoris, vestigia plura decoris,
Quæ Deus in Cœlo, sanctis speciosa paravit:
b Omnia sed superat, Facies perfulgida Christi
Quæ fulgore suo, Cœlos illuminat omnes,
Hunc augent sacræ rutilantia VULNERA carnis,
Lancea, Crux, Clavi, & reliqua instrumenta salutis,
c Quæ retinet, veluti veteris vestigia Amoris,
Ac præclara magis, superato de hoste trophæa
Aspectu quorum Sanctorum, Gaudia, Amores.
Et Laudes crescunt, nudo quæ tempore cessant
d Hunc sequitur Solem, pulcherrima Luna MARIA
Atria quæ Cœli, speciali luce serenat.
e Et veluti mane exurgens Aurora decorat.

a Excel-

a *Ibid.* b *Apoc.* 21. *v.* 24. c *S. Ambrosius lib.* 10. *in Lucam*, d *Cant.* 6. e *Ibid.*

a Excelso subvecta Throno; vicinaq; Christo,
b Ut Regina poli, Sanctorum gloria summa,
Quos ut mater amat, summo dignatus honore:
Concivesque suos, jucunda voce salutat,
Vestibus exornat pretiosis, munera donat
Nomine dilecti, Matris qui cuncta relinquit
Arbitrio pleno, placidis defertque petitis:
c Nil sperare potest homo: quod non largiter omne
d Hic habiturus erit, quando satianda voluntas,
e Tam pleno gustu, nihil ut desideret ultra
f Huc igitur curas converte, huc dirige facta,
g Huc & collimet, vitæ directio tota,
Ut magnetis acus, versans ad signa polorum,
Præclara est Cœli merces, quæ tanta futura,
h Dicere ut hanc nequeat, suavis facundia linguæ
Nota illi soli, tribuit qui præmia tanta:
i Omnes si mundi pœnæ, cumulentur in unum,

a S *Bernard. ser. 1. de Assumpt* b 2. *Reg.* 2. c *Rom.* 8. d 1. *Corinth.* 13. e *Ioann.* 22. *& 24 Ps.* 16. f *Matth.* 6. g *Micheæ* 6. h *Corinth.* 1. i *August. in manuali cap.* 5.

Et quæ sæva potest, tormenta inferre Tyrannis
Uni homini, subeunda forent, atque Ignis averni
[a] Ureret ad Tempus, posthac ut gaudia cœli
Perciperet, minimum tamen, hæc attingere punctum,
[b] Aut umbram possent, quæ Gaudia tanta merentur:
[c] Fortiter hinc pugna, labor haud te tædeat ullus.
[d] Hic, quanto est major, tanto quoque plenior ipsa
Gloria Sanctorum, duplicanda corona salutis:
Ut Laude indignus, sine pugnâ, aut cæde Triumphus,
Quem non præcedit, victoria parta labore,
[e] Demonstrans Animi robur, pectusque virile;
[f] Sic Christi miles, si Animæ non vicerit hostes
De illecebris mundi, carnis Sathanæque triumphet,
[g] Non rapiet Cœlum, quod fortia pectora poscit,

[h] So-

a *Ibid.* b *Rom.* 8. c *Ephes.* 5. 1. *Corinth.* 9. d *Psal* 93. *Hebr* 12. e 2. *Timoth.* 2. & 4. f *Hebr.* 11 1. *Pet.* 5 g *Matth.* 11.

a Solaque condigna mercede in fine coronat:
b His solare animum, quoties hunc tristia frangunt,
c Quem minime lædent, quando cœlestia volvit,
d Quin potius, reddens dulcem, quemcunq; laborem,
e Ærumnasq; graves, solatia vera sequentur
f Tristitiamque brevem, infinita hæc gaudia claudens
Quæ tibi Lectori, ex cordis penetralibus opto;
Hoc voto, finem præsentis claudo Libelli,
Ut vivendo piè, gustes hæc Gaudia Cœli,
Quæ tibi promitto, data si præcepta sequaris.

a *Iacob* 1. 2. *Corinth.* 1 & 7 b *Iob* 6. c *Philip.* 9 d *Psal.* 26. e *Psal.* 89. *Iob.* 6, *Rom.* 15. f *Apoc.* 2. *Cant.* 2.

FINIS.

INDEX PARAGRAPHORVM

qui hoc Nucleo mystico continentur.

§. I.

Demonstrat rectam & veram VIAM, quæ ad Cœlum ducit, & in quo consistat Perfectio vitæ Christianæ, explicat, ac crassos vulgi errores detegit.

2. Arguit hominum imprudentiam, circa considerationem Novissimorum,
3. Pœnas inferni ante oculos ponit.
4. Describit peccati turpitudinem & vindictam.
5. Reprehendit prudentiam carnis.
6. Detegit fraudes, & laqueos diaboli.
7. Suadet fugam carnalium voluptatum, ac earum pericula, & infœlicem finem describit, ac fraudes diaboli ulterius detegit, uti & pœnas, quas post hac infliget.
8. Describit vitæ humanæ brevitatem & inconstantiam.
9. Consulit mortis meditationem.
10. Demonstrat Dei præsentiam ubique.
11. Aperit hypocrisis vitium, ejusque pœnam.

12. Explicat severitatem extremi Judicij, & finalis Sententiæ: ITE VENITE.

13. Purgatorij locum, & pœnas describit, & modum eas evadendi docet.

14. Adversa Mundi æquo animo ferenda consulit, eorumque fructus & merita deprædicat.

15 Qualiter in hoc mundo vivendum sit, docet.

16. Virtutem laudat, & per quæ acquiratur, explicat.

17. JUSTITIAM servandam præcipit, & ejus violationem prohibet.

18. Personis miserabilibus, & Pauperibus subveniendum docet, & merita Eleemosynarum explicat.

19. Reprehendit nimiam aliquorum solicitudinem, ut post mortem amplas divitias hæredibus relinquant; & salutora suggerit consilia. Ac latius Eleemosynarum fructum ac virtutes demonstrat, & ad eas hortatur.

20. Explicat fructus intentionis rectæ & conformitatis humanæ voluntatis cum divina.

21. Duplicitatem cordis & omnem fallaciam carpit.

22. Cordis contritionem, & Dei timorem inculcat.
23. Vespertinum conscientiæ examen, & angelicam tutelam invocandam monet.
24. Quid mane surgenti faciendum exponit.
25. Honorum & divitiarum contemptum suadet, & pericula eorum memorat, humilesque consolatur.
26 Sacramentorum Virtutes explicat.
27. Superbiam & cætera vitia capitalia vitanda docet.
28. Vitam, & Passionem Christi meditandam docet.
29. Beneficia Dei grato animo recolenda; consulit.
30. Sanctos invocandos & imitandos docet.
31. B. Mariam Virginem honorandam hortatur, ejusq; figuras & laudes ex sacris literis & vaticinijs prophetarum deprædicat.
32. Præcipit carnalium appetituum Mortificationem, & salutare sui odium.
33. Suadet externorum sensuum, linguæque custodiam.
34. Otium vitandum & temporis rationem habendam docet.
35. Mansuetudinem laudat, nec ulli detrahendum, vel detractorem audiendum præcipit.

36. Consortia prava declinanda, docet.
37. Consulit Sacramentalem confessionem non differendam, & qualiter ea institui debeat, docet.
38. Explicat utilitates & effectus divini Amoris & devotæ Orationis, ejusque requisita, & distractionis nocumenta.
39. Suadet maturam rerum suarum in sanitate dispositionem, & agonizantis hominis angustias, & extremam ejus cum morte luctam describit.
40. Spiritus & carnis luctam internam, & qualiter se homo circa illam gerere debeat, explicat.
41. Virtutem PATIENTIÆ, ac ejusdem utilitatem & necessitatem describit.
42. Æternitatem ob oculos ponit, & continuam ejus memoriam habendam, docet.
43. Describit gaudia Sanctorum, & cœlestis Regni pulchritudinem.

APPLAUSUS

IN MULTUM DESIDERATAM & tandem absolutam TRIUM NUCLEORUM Editionem.

JUSTITIÆ NUCLEO, superaddis
MARCHIÆ LEGUM,
MYSTICUS ET NUCLEUS TERTIUS ipsus adest,
Quid sibi mixta volet NUCLEORUM TRINA medulla?
Anne ut grata DEO TRINA HOLOCAUSTA feras?
Rem tetigi, TRIADIS Divinæ incensus amore,
Ad Templum Domini fers TRIA DONA simul:
Thaboreo Christus quod Petro in monte negavit,
MARCHIE tu præstas, hisce TRIBUS NUCLEIS:
Hinc sapienter agis, nec sunt molimina vana,
Sed mundo utilia & grata futura DEO,
Dum struis in vita, NUCLEIS HABITACULA TRINA,
Præmittisque polo, quo loca tuta pares,

Ut:

Ut post finitum vitæ mortalis agonem,
Præmia percipias, digna Labore tuo;
Hoc INSIGNE LEO, pedibus subvectus in altum,
Hoc AQUILÆ rostrum, dum petit alta, notat,
Est LEO magnanimus, forti quoque robore pollet,
Magnum animum petiit, sic Labor ille tuus,
Inter aves AQUILÆ sunt visu & mente sagaces,
Sic minus, haud NUCLEUS MYSTICUS ille tuus,
In quo describis fallacis gaudia mundi,
Et salebrosam quæ ducit ad astra viam,
Inferni pœnas, Cœlorum gaudia pandis,
Quod justum suades, omnia recta doces,
Es hostis vitiis, irati more LEONIS,
Et virtutis iter, more AQUILÆ reseras:
Dœmonis insidias, & fraudes mill[illegible]nocendi
Detegis, & quales contegat arte dolos:
Et quæ magna putat, vulgi persuasio cœci,

Pro nihilo ducis, stultitiamque vocas:
Ad meliora trahis, cœlestia quærere suades,
Dum terrena probas, interitura brevi:
Omnibus instillas, sanctum virtutis amorem,
Ut nullum lateat, quæ facienda sibi,
Tot loca Scripturæ, parvo concludere libro,
Immensus labor est, ingeniūque probat:
Infirmum corpus, tantos subiisse Labores
Mirum, Divina at gratia, cuncta potest:
Ipse boni cōmunis amor, non propria curans,
Corporis adjuvit Te superare mala;
Doctrinâ rarâ, Divina, humanaque jungis,
Hisce TRIBUS NUCLEIS, Laude perenne tua:
Pabula Divini præbent tua Carmina verbi,
His animas recreas, pascis amore Dei:
Divitias alii, aut vanos sectentur honores,
Hæc Tu contemnens, quæ magis alta petis:
Gloria Tu Patriæ es TUÆ DI. SANCTIQUE JOANNIS,
Publica Doctrinæ, dans documenta Tuæ:
In cœlo quondam, stellarum more micabis,
In terra LEGIS, JUSTITIAMQUE docens;

Zoilus

Zoilus injustè, rodet tua MARCHIÆ
Scripta,
Ni prius in Lucem, det meliora Tuis:
Doctrinæ est commissa Tuæ, Censura librorum, hinc
Carpere præsumet, garrula lingua minus:
Insuper augebit, NUCLEI translatio famam,
Versu Teutonico, Lucem habitura brevi.

Quibus, Collegæ suo longè charissimo, ex sincerissimo cordis affectu applaudebat, Ioannes Brogberen I. V. L. ejusdem Ecclesiæ ad S. Ioannem Osnabrugi Canonicus, nec non Eminentissimi ac Reverendissimi S. R. E. Cardinalis Episcopi ac Principis Osnabrugensis, Ratisbonensis, &c. Consiliarius Ecclesiasticus,

† CAR-

CARMEN AGGRATULATORIUM in Nucleos, Insignia & dictum Domini Auctoris.

DVm gratulari, de *Nucleo* tibi
Nitor, medullas sollicitat pavor,
O cha : Mecænas, labantis
Præsidium columenque juris,
Nam quo volantem, te vigor ingenî
Rapit? quid audes? pangere *Nucleum*?
Quid ille? sanctum fas & æquum,
Et niveas, sine tabe *leges*
Intaminatæ *justitiæ* sapit,
Infixa vis est huic sapientiæ,
In arduo quæsita clivo,
Pegaseo mage præpes vngue;
Quæ cæterarum jus agitantium
Scientiarum, præterit orbitam,
Mortalium hæc omnem potentis
Vis *Nuclei* capit ampla sexum,
Hæc subditorum colla, proterviæ
Inflata cristis, temperat, & jubas.
Debellat effrenes minacis
Iustitiæ dominante loro;
Vis illa Regum, juraque Cæsarum,
[illegible]rumque normas, Pontificum tenet
Decreta, legesque & statuta.
Hæc *Nuclei* Capit una magnos.
Virtus Monarchas, ut sibi subditos
Agant sub æquum *justitiæ* jugum,
Informat hæc gentem subactam,
Colla libens animosa frenis.

Subs

Submittat Astrææ, hac sine turbidis
Gentes & oræ seditionibus,
Cunctæque tempestate Martis
Belligerâ, quaterentur urbes,
Martem parentum dira gementium
Lamenta, planctus, & gemitus retro,
Fusæque certatim querelæ;
Irriguo sequerentur imbre,
Arderet ingens, hoc sine *nucleo*
Tumultus orbis, qualis in improbo
Nutritus inferni Camino,
Dissidiis quatit horror umbras,
O mira parvi gloria *Nuclei*!
Queis digna tandem Pyramidum jugis!
Per astra juro mentis index
Hic Nucleus generosioris.
Sed hem stuporem frons *Aquilæ*, & jubar
Fugat *Leonis*, quæ duo symbola
Tuentur *auctoru*, relatas
Ex geminis *Nucleo* coronas,
Nempe Imperator quadrupedum *Leo*
Robustiorem denotat indolem,
Sagacis at mentis revelat
Frons *Aquilæ* manifesta signa,
Sic hunc tenacem *iustitiæ* virum,
Non Zoilorum rostra furentium,
Non dira sectarum Caterva,
Mente quatit solida, nec Auster.
Nam non subactis, ingruit efferus
Furor Leonis, terrificos vibrat
Vngues, in excelsi tumoris
Corda, truci tumefacta flatu,
Emblema sanctæ *Iustitiæ Leo*,
Gerens sub acri, fortiter vngulâ,

Hinc

Hinc, ut superborum proterva
Colla domet, subigatque victor,
Assurgit altè, turbidus horridos
Fulvam per armos concutiens jubam,
Erumpit in cætum rebellem,
Fulmineo metuendus ore.
Regina vero pennigeri chori,
Gerens sub uncis *suaviter* unguibus,
Pacata disponit, *Leonis*,
Hæc rabidi moderatur iras;
Sic Nuclei pars prima, rebellibus
Intentat æquas *Iustitiæ* minas;
Sic flamma vindictæ, prioris
Quam Nuclei male spirat ultrix.
Pars in rebelles, Nuclei ab alterâ
Parte allevatur, quæ jubet inclytæ
Amore virtutis, piarum
Dulce jugum subiisse *legum*,
Quid ergo mirum, cum *Leo* roboris,
Cum stipet ales te sapientiæ,
Emblema te tales gemello
In Nucleo, pepigisse *leges*,
At at sequentis, quid *Nuclei* labor?
Humana suadet linquere, gaudia
Fucata conculcare mundi, &
In superas penetrare sedes,
Perlústrat oreum, tertius hic labor,
Virtutem in alto collocat essedo,
Purgantis investigat antri
Supplicium, scelerumque pœnas.
Ac tandem, in arces nititur igneas,
Victoriosos æthereæ domus,
Cantans triumphos, & beatos
Cælituum sine fine plausus:

O perge

O perge tantos edere *legifer*
Mundo labores, *Fortiter ut Leo*,
Perge usque, victricis domare
Iustitiæ capita alta loris;
O perge promptos perge age *suaviter*
Astræa habenis subdere vertices,
Sic te triumphalis manebit,
Insuperum regione laurus,
Sic fulgurantem te face siderum,
Stupebit Arctos, rhedaque gloriæ
Migrabit in terris ad ortum,
Solis ab Hesperio cubili.

Honoris & benevolentiæ ergo, hujus Nuclei Authori applaudebat studiosa Iuventus Carolinæ scholæ osnabrugensis.

ALIUD

In Doctissimum TRIUM NUCLEORUM Auctorem, & translationis NUCLEI MYSTICI, in Linguam Germanicam, Zelosum Promotorem.

LEGIS DIVINÆ, NATURALIS, POPULORUM,
HUMANÆQUE Simul, NUCLEIS bi[illegible]
MARCHIE, firma
Fundamenta doces, brevis es, obscuraque vitas,
Omnia rite probas, Auctorum aut Nomina signas:
MYSTICUS & NUCLEUS, suavi modulamine versus,

LECTO-

LECTOREM recreat, veluti Luscinia cantu,
Cordibus insinuat, verum Pietatis Amorem,
Et quam districta sit Iudicis ira timenda;
Vt pateat cunctis Æternæ Ianua Vitæ:
FORTITER unde malos perstringit, crimina carpit,
SVAVITER at Iustos animat, quêis Præmia spondet,
Permansura diu, ac finem imposítura Labori:
More AQVILÆ alta petit, Cœlestia lustrat,
Infima contemnit, Mundi deliria ridet:
Nec sat erat NVCLEVM, Latino scribere versu,
Ad majora tuus Zelus, te MARCHIE traxit,
Mens fuit atque rudes, Mysteria tanta docere,
Ac Tecum, plures Animas adducere Cœlo,
Ne linguas alias, sana hæc Doctrina lateret,
Thesauros superans, totus quos continet Orbis:
Vnde laborasti, GERMANO IDIOMATE verti,
Crescéret ut major, meritis condigna, Corona,
Quam Deus in cœlo Tibi pro mercede reservat;
Hùc etenim labor, hùc omnis tua cura tetendit:
Divitias aliis, & Honorum culmina linquis,
Illaque contemnis, reputat quæ grandia Mundus:
Ad majora Animum vertis, magis alta requiris:
Te tamen invito, crescet tua Fama per Orbem:
Quâ vix est major, quam quæ scribendo paratur:
Cætera prætereunt, Labor hic post funera vivet,
Posteritas laudabit eum, mirabitur olim;
Nunc seris in sterili, forsan tua semina terrâ,
Sed veniet tempus, quo fœnore sparsa resurgent:
Non solet in Patriâ, nomen magnũ esse Prophetæ,
Extra majus erit: NVCLEIS sic MARCHIE fiet,
Ni tibi quam CHRISTO, melior fortuna faveret
Discipulusque suum, superaret in arte Magistrum.

IV-

IVSTITIÆ NVCLEI, impressa Exemplaria mille,
Et quingenta simul, quorum Distractio finem
Est habitura brevi, reddent te Laude perennem
Nec minus hic NVCLEVS, simili qui pondere constat,
Et qui, Divini tradit sacra Dogmata Verbi!
Hinc secura TRIAS NVCLEORVM, nulla timebit
Ora susurronum, aut Linguas mordere paratas,
Quæ veluti Ranæ, lutulentis murmur in undis,
Quaxando resonant, & frustra jurgia miscent.

Quo Domino Auctori, Patrono & Mœcenati Suo observandissimo, in debitæ Gratitudinis signum, applaudebat Bernardus Bannir.

AUTHOR IN ZOILUM.

ZOile si mea præsumas arrodere Scripta,
Fac meliora prius, postea rode satur,
Ipse canis mordere potest, & rodere glires
Sed tales facile, ad prandia nemo vocat,
Qui tamen, infectæ rodant si cuspide Linguæ,
Quæ rosêre nocent, cætera sana manent;
Rodere si vero, cogat malesuada voluntas,
Nec Linguæ virus, plus cohibere queas,
Ossibus ipse tuis, satia te Zoile primum,
Et mendosa nimis, desinet ecce fames,
Ac habitura bonam, spero, mea scripta quietem,
Oris & insulsi, tela timenda nihil:
Non glires Aquilæ metuunt, non verba LEONES,
Rodentesque canes, Zoile teque minus.

Opus

OPusculum, quod intitulatur, NUCLEUS MYSTICUS LEGIS & JUSTITIÆ EVANGELICÆ à R. Adm. & Exim. D. EWALDO MARCHIO SS. Theol. Licent. &c. Carmine nō minus piè quam doctè compositum & auctū perlegi, nec quicquā sanæ fidei aut bonis moribus contrarium: quin potius sapidum & utilem Christianæ pietatis NUCLEUM in eo contineri deprehendi. In quorum fidem & testimonium hæc propria manu scripsi & & subscripsi in Conventu nostro FF. Minorum Recollectorum ad Olivas dicto, Coloniæ. 28. Septembris. 1660.

F. Bernardinus Vetveis SS. Theol. Lector Iubilatus.

ERRORES TYPOGRAPHICOS qui huic NUCLEO de LEGIBUS irrepserunt sic LECTOR corrige.

IN titulo pro ſummarius l. ſummaria. In Præfatione pag. 3. lin. 25. allaturam. l. allaturum. pag. 4. lin. 17. per imparem. l. par in parem, pag 40 lin. 24. Dominca. l. Dominia. pag. 58. lin. 13. cap. 13. hoc omittatur. Eadem pag. lin. 23. arbitraria. l. arbitria. pag. 96. lin. 6. qui lite. l. quæ lite. pag. 146. lin. 20. cognitionem. l. cognationem pag. 156. lin. 17. ſubito l. ſubdito. pag. 166. lin. 9. Actorem. l. Actorum. Eadem pag. lin. 17. dicant. l. dicunt. pag. 175. lin. 22. ſentia. l. ſententia. pag. 179 lin. 13. ſuſdicionis. l. ſuſpicionis. pag. 194. lin. 5. Ira l. Ita. pag. 206. lin. 10. Wiggers in v. l. in 1. 2. pag. 207. lin 3. Ipſe. l. ipſo. pag. 219. lin. 1. eras. l erat pag. 257. lin. 13. communitabus. l. communitatibus. pag. 263. lin. 1. de nutrim. l. de Matrim. Eadem pag. lin. 15. Proſcripta. l. Præſcripta. Eadem pag. lin. 20 Inhabilem. l. habilem. pag 265. lin. 19. to omittatur. pag. 266. lin. 22. q. 106. in 12. l. 1. 2. à. q. 98. uſque ad 106. pag. 272 lin. 19. uno l. unus. Eadem pag. lin 20. Alio. l. Alius. pag. 277. lin. 15. Feling. l. Felinus. pag. 278. lin. 13. omittitur. l Amittitur. pag. 280. lin. 15. evocare. l. revocare. pag. 289. lin. penult. ſubreptium. l. ſubreptitium. pag 291. lin. 4. primis.


4.primis.l.primus. pag. 311. lin 4. Teſtibus. l in Teſtibus. pag. 313.lin.ult.præſcripto.l. Præſcriptio. pag.329. in.16.ableri l.aboleri. pag.330.lin.11. Jurejurampo.l. Jurejurando. Eadem.pag.lin.17. in omnibus. l. Hominibus. pag. 128. lin. penult. actuoſo.l. actus.

ERRATA NUCLEI LEGIS EVANGELICÆ.

P 8.linea 12. natabant lege notabant.p.16. carmen ultimum in quo &c. omittatur totum.p.21.car 9.Serio l, ſeria. p. 22. car. 5. capit.l. cædit. p. 24.car.1.niſi l nix. p. 28. car.2.incerto l.inferto. p. 40.car.6.præbens l.præbe. p.44. car.6.additus l. abditus.p.72. car. 13. fluctus l fructus.p.73. car. 13. faciunt. faciant.ibid.car.14.variati l.variantis. p. 74. car.3.profundit l.profudit.ibid.car.6. jurgite l.gurgite.p.82.car 5.poſtquam l. poſt quam p.84.§.32.vivetis l.vixeritis.p.88. car. 11. turbato l. turbatio. p. 102. car.7. ſpes ſit unita l. ſpe munita. p. 115. car.8.quorum l. quarum. p.117. car. impii ad l. impii at.

...ata quo ad puncta & commata prudens Lector, facile corriget.

FINIS.



Tract. pract.
de lo[illegible]ibus

Th
2393

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN